



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Ex Prima Secvndæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

EX PRIMA
SĒCVNDÆ.

CONTROVERSIA XXV.

BEATITVDO FORMALIS.

An hæc consistat in sola Visione DEI.

106. **E**X hoc, quod S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 4. Beatitudinem formalem, in speciali, & quidem propriè dicto sensu acceptam, in sola Visione Beatifica constituat, & sub illa acceptione dicat: *quod quantum ad id, quod est essentialiter ipsa Beatitudo, impossibile est, quod consistat in actu Voluntatis*: non rectè deducit Adversarius, vel Angelici Doctoris doctrinam fore mancam, vel P. Haunoldum in vanum laborasse, dum lib. 2. à n. 21. pro diversa acceptione possessionis, jam in sola Visione, jam in solo amore, jam in utroque simul sumpto, consistere possessionem Beatitudinis objectivæ affirmavit. Nam ipse S. Thomas præter Visionem aliud genus possessionis formalis, non à P. Haunoldo primùm excogitatum, sed ab omnibus D.D. receptam, quâ Bona aliena Amici quisque sibi appropriat, ac possidet, pluribus in locis agnovit: 1. dist. 10. a. 3. in C. inquit. [Quando autem aliquis placet sibi in aliquo, trahit se in illud, & conjungit se illi, quantum potest, ita ut illud NB. efficiatur suum, & inde est, quod amor habet rationem uniendi amantem, & amatum.] & 3. dist. 27. q. 1. a. 1. in C. [Amor nihil aliud est, quàm quædam transformatio affectûs in rem amatam. Et quia omne, quod efficitur forma alicujus, efficitur unum cum illo: ideo per amorem amans fit unum cum amato, quod est, factum forma amantis. Et ideo dicit Philosophus 9. ethic. c. 4. quod Amicus est alter ipse. Et 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo, unus Spiritus est.] Cum ergo Beati per amorem DEO, tanquam Beatitudini suæ objectivæ, perfectissimè adhæreant, & illum efficiant suum, atque in eum se transforment, ut quidquid est ipse, id affectivè sit singulorum Beatorum, an non amor est possessio formalis, & consequenter in aliquo sensu, à S. D. & communiter recepto, Beatitudo formalis? Vnde idem Angelicus Doctor in cap. 25. Mat. exponens illa verba vers. 34. possidete paratum vobis regnum, sic ea explanat. Dicit: Possidere: id est, intrare in possessionem, qualis autem ea sit possessio in eodem cap. v. 21. Christus ipse indicavit, dicens: intra in gaudium Domini tui. In quæ Verba Angelicus Præceptor præveniens objectionem Adversarii ita scribit. [Gaudium enim est præ-

mium. Et posset dicere aliquis, Nonne Visio est præmium, vel aliquid aliud bonum? Dico, quod si alia res dicatur præmium, gaudium tamen est finale præmium. Sicut possem dicere, quod est finis gravium locus inferior. Item quiescere in illo loco, & illud est magis principale. Sic gaudium nihil aliud est, quàm quies animi in bono adepto, unde ratione finis dicitur gaudium præmium: Si autem gaudium est quies, ultimatè intentum, & principalis possessio boni adepti, jam in vero sensu beatitudo formalis dici meretur.

107. Rectè itaque distinguitur duplex possessio. Una, quâ Beatitudo objectiva prædicta sit præsens, & Primò, ita possidet, ut sine alio actu intermedio possit statim sequi fructum, seu delectatio de illa. Altera, quâ perficitur, & consummatè possidet, & respectu hujus possessionis Amor Dei gaudens de bonis illius non est aliquid consequens vel concomitans, sed ad effectum spectans, per quod S. Thomas 1. 2. q. 4. a. 8. ad 3. distinguit Amorem Beatorum erga Deum ab amore erga DEUM. [Dicendum, (inquit,) quod perfectio Charitatis NB. est essentialis beatitudini quantum ad dilectionem Dei, non quantum ad dilectionem proximi.] Et in fine concludit. [Unde quasi concomitenter se habet amicitia ad perfectam beatitudinem.] Ad quam scilicet Amor Dei non habet concomitantes, sed est essentialis: quia perfecta Beatitudo, non est tantum inchoata, sed consummata possessio, quâ Deus, seu Beatitudo objectiva tenetur per omnes potentias animæ, immediatè illius capaces, uti non solum capax est Intellectus per Visionem, sed etiam voluntas per amorem, quæ sicut est præcipuum instrumentum operans ad meritum, sic debet etiam esse præcipuum instrumentum operans ad possessionem formalem beatitudinis objectivæ, tanquam ad præmium principale, quod testis Thomas 1. c. est gaudium Amorosum de DEO: ubi hæc subjungit: [Intra in gaudium Domini tui, id est, gaude eo, quo gaudet, & de quo gaudet Dominus tuus, scil. de fruitione sui ipsius. Tunc ergo gaudet homo, ut Dominus, cum fruatur ut Dominus. Unde dicit Dominus Apostolis. Statui Vos, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, id est, NB. ut letis beati, in quo sum beatus.] Quibus Verbis sicut gaudium Domini dicitur esse id, quo Dominus est consummatè Beatus, sic gaudium de Bonis Domini, quod est formaliter amor, dicitur, esse id, quo homines sunt consummatè Beati.

108. Licet autem idem S. D. 1. 2. q. 3. a. 8. dicat: [Quod ultima & perfecta Beatitudo non possit esse, nisi in Visione Divinæ sententiæ.] Per hæc Verba non vult excludere alium actum à ratione perfectæ beatitudinis, sed tantum vult excludere aliud objectum, de quo ibi.

ibidem quaestio unice instituitur, & de quo particula exclusiva, subinde etiam ab aliis SS. Patribus adhibita, intelligenda sunt: ut quando S. Augustinus in primis de Amore Beatifico, deinde de Visione Beatifica ita locutus est lib. 10. Confess. cap. 22. [Ipsa est vita beata, gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est, & non est altera: qui autem aliam putant esse, aliud seclantur gaudium, nec ipsum verum.] Et mox in principio sequentis capitis sic pergit. [Non ergo certum est, quod omnes esse beati volunt, quoniam, qui non de te gaudere volunt, quae sola vita beata est, non utique vitam beatam volunt.] Idem S. Pater autem etiam de Visione DEI ita ait lib. 1. de Trin. cap. ult. [Illa Visio DEI, quam contemplabimur incommutabilem, & humanis Oculis invisibilem DEI substantiam, quae solis Sanctis promittitur &c. sola est summum bonum nostrum.]

109. Atque his testimoniis Angelici & Hipponensis Doctoris pro perfecta, non tantum ex parte objecti, sed etiam ex parte actus, beatitudine complenda, praemissis, ostendo ulterius multiplici naturali ratione, adaequatam Beatitudinem formalem utroque actu, Intellectus ac Voluntas, contineri. Primò. DEUS est Beatitudo objectiva sub ratione ultimi finis, & sub ratione Boni infiniti: ergo ille actus est saltem partialis Beatitudo formalis, qui est actus potentiae agentis propter finem, & tendentis in objectum ut bonum est.

110. Secundo. Beatitudo formalis est ratio formaliter applicans Beatitudinem objectivam, nempe DEUM: sed sicut Visio est ratio formaliter applicans DEUM Intellectui sub ratione Veri perfectissimi, sic Amor est ratio formaliter applicans DEUM Voluntati sub ratione Boni perfectissimi: ergo sicut Visio, ita etiam Amor est partialis Beatitudo formalis.

111. Tertiò. Quemadmodum id non est Beatitudo objectiva, in quo animus hominis non quiescit, sic ille actus non est adaequata Beatitudo formalis, per quem non ultimè quiescit, sed per Visionem DEI nondum quiescit, eamque necessariò ordinat ad Amorem: ergo &c.

112. Quarto. Illius potentiae actus est saltem inadaequata Beatitudo formalis, quae à natura est praecipue ordinata ad possidendam Beatitudinem objectivam; illa autem est à natura ad hoc ordinata, per cuius actum possidetur Beatitudo naturalis: sed haec non solum possidetur per actum intellectus: verum etiam Voluntas, cum propterea bona temporalia non sint beatitudo objectiva hominis, non quia intellectum, sed quia Voluntatem non exsant: ergo non solum actus Intellectus, verum etiam actus Voluntas est saltem inadaequata Beatitudo formalis. Certè S. Thomas 1. 2. q. 2. a. 8. in C. non in ordine ad actum intellectus, sed voluntatis

probat Beatitudinem objectivam hominis esse solum Bonum Increationem; dum allata nostra argumenta supponens, inquit. [Impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato; beatitudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat NB. appetitum: Alioquin non esset ultimus finis, si adhuc restaret aliquid appetendum: Objectum autem NB. voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale Bonum, sicut objectum Intellectus est universale verum (quibus verbis ulterius indicat S. D. quod sicut Deus sub duplici ratione objectiva est finis hominis, nempe sub ratione universalis veri, & sub ratione universalis Boni, sic illi correspondere duplicem actum, quo formaliter & perfectè possidetur & obtinetur utraque ratio objectiva finis) unde Solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundum quod dicitur in Psalmo 102. Qui replet in bonis desiderium &c. in solo igitur DEO beatitudo hominis consistit.]

113. Quintò. Illo modo Deus perfectissimè se communicat Beatis, & per illum perfectissimè possidetur; qui maxime assimilatur modo se communicandi ad intra: Sed modus simul se communicandi per Visionem & Amorem est talis; quia per Visionem assimilatur generationi, quae est Intellectio Notionalis, per Amorem verò assimilatur Spirationali, quae est Amor Notionalis: ergo per Visionem & Amorem Deus perfectissimè possidetur à Beatis: ergo in utroque simul sumpto consistit adaequata, & consummata Beatitudo formalis; quod etiam indicavit S. Bern. epist. 28. dicens: Sicut in hac vita fides & desiderium, sic etiam in alia consummat Visio & Amor.

114. Neque huic consummata Beatitudini obstat argumentum S. Thomae 1. 2. q. 3. a. 4. in C. ubi probans, quod sola Visio sit prima possessio beatitudinis objectivae, inquit: [Consecutio autem finis non consistit in ipso actu voluntatis. Voluntas autem fertur in finem, & absentem, cum ipsum desiderat; & praesentem, cum in ipso requiescens delectatur: manifestum est autem, quod ipsum desiderium finis, non est consecutio finis, sed est motus ad finem: delectatio autem advenit voluntati ex hoc, quod finis est praesens; non autem è converso ex hoc aliquid sit praesens, quia voluntas delectatur in ipso.] His enim verbis rectè quidem probatur intentum S. Thomae, quod amor non sit prima possessio Beatitudinis objectivae, quia, ut in responsione ad 4. ait. Dilectio praeminet cognitioni in movendo, sed cognitio praeva est dilectioni in attinendo: non autem probatur, quod amor, quatenus est gaudium & delectatio de ipsa beatitudine objectiva, supponat jam perfectam & consummatam possessionem, cum S. D. 1. p. q. 20. a. 1. in C. expresse & universaliter dicat: Sunt quidam actus voluntatis, & appetitus, respicientes bonum sub

aliqua speciali conditione: sicut gaudium & delectatio est de bono presente, & habito, desiderium autem est spes de bono, nondum adepto. NB. Amor autem respicit bonum in communi, sive sit habitum, sive non sit habitum.

115. Ex quibus evidens est, quod illud duntaxat gaudium & delectatio, quæ est distincta ab amore, & quæ est de fine, ut possessio, ac præsentia, adveniat Voluntati ex hoc, quod finis est præsens: ipsum verò gaudium, quod est de bonis Amici, ut sunt bona Amici, seu quod est idem ac Amor, non adveniat Voluntati ex hoc quod finis est præsens per affectivam unionem, & transformationem in amatum, sed secundum supra relatos textus Angelici Doctoris primum faciat speciali modo præsentem, ac perfectissimè conjunctum: uti rursum S. D. clarissimè testatur 4. dist. 49. q. 5. a. 1. in C. his Verbis. [Dicendum, quod premium NB. essentiale hominis, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animæ ad Deum, in quantum eo perfectè fruatur, ut viso NB. & amato perfectè.] Unde sicut beatitudo objectiva potest fieri præsens primo modo per Visionem, & secundo modo per amorem unientem, & utroque modo, simul sumpto, per Visionem & amorem, P. Haunoldus utiliter laboravit, distinguendo triplicem acceptionem beatitudinis formalis, pro diversis & ab ipso relatis modis loquendi S. Scripturæ, ac SS. Patrum, & Theologorum sententijs conciliandis; quorum cum multi dicant Formalem Beatitudinem consistere in sola Visione, alij cum Scoto in solo actu Voluntatis, plurimi denique cum Hugone de S. Victore in cap. 7. Dionysij de Cælest. Hier. & cum S. Bona. 4. dist. 49. a. 1. q. 5. in utroque actu illam constituent, nec credam Adversarium in diversis sententijs tot & tantorum Doctorum peregrinum esse, quamvis ex nostris AA. Unicum P. Haunoldum Videatur legisse; hinc vehementer miror, ausum fuisse dicere, quod P. Haunoldus diversam acceptionem possessionis Beatitudinis objectivæ primum excogitaverit.

CONTROVERSIA XXVI.

VOLUNTARIUM INDIRECTUM.

An ad hoc sufficiat, potuisse & noluisse impedire effectum.

116. Immerito ait Adversarius, P. Haunoldum lib. 2. n. 61. S. Thomæ in terminis contraxisse, dum ille effectum ex Omissione secutum ait. [posse dici mihi Voluntarium indirectè, sive obliger, sive non obliger impedire, modò possum.] S. Thomas verò 1. 2. q. 6. a. 3. inquit. [Sciendum, quod non sem-

per id, quod sequitur ad defectum actionis, inducitur sicut in causam in agens, ex eo, quod non agit, sed solum tunc, cum potest & tenetur agere.] Et q. 76. a. 1. sic de DEO loquitur. [Non potest directè esse causa peccati, similiter etiam neque indirectè. Contingit enim quod DEVS aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata, quod si præberet, non peccarent; sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientię, & justitię, cum ipse sit sapientia. Unde non imputatur ei, quod alius peccet, sicut causa peccati: sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc, quod non gubernet navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens, & debens gubernare.] S. Thomas enim in utroque loco tantum dicit, non esse causam sive directam sive indirectam in genere moris, ita ut imputetur ei effectus ad culpam, si potuit quidem illum impedire, sed non tenebatur, nec debebat: non autem dicit, nullo modo, neque in sensu physico esse causam; quatenus S. Thomas 3. p. q. 47. a. 1. in C. à P. Haunoldo diligenter citatus, in terminis dicit. Christus non à se ipso, sed à suis persecutoribus fuit Occisus: NB. sua tamen mortis causa fuisse dicitur, non eam prohibendo, cum posset. Quomodo ergo P. Haunoldus S. Thomæ in his terminis contradicit?

117. Debebat itaque Adversarius cum S. D. 1. 2. q. 6. a. 3. distinguere inter Voluntarium, directè vel indirectè, & inter esse causam in genere moris: ad primum enim l. c. plus non requirit, quam quod his Verbis continetur. [Voluntarium dicitur, quod est à voluntate; ab aliquo autem dicitur esse aliquid duplitate. Uno modo directè, quod scilicet procedit ab aliquo in quantum est agens, sicut calefactio à calore. Alio modo indirectè, ex hoc ipso, quod non agit: sicut submersio navis dicitur esse à gubernatore, in quantum desistit à gubernando.] Ad secundum autem immediatè sequentibus verbis plus requirit S. D. cum scilicet. Omitteas actionem potest & debet agere: si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissæ gubernatio navis, non NB. imputaretur ei navis submersio.

CONTROVERSIA XXVII.

LIBERTAS CREATA.

Quomodo Liberum Arbitrium se ipsum determinet, & à causa prima moveatur.

118. Sub hoc titulo Adversarius repetit ea, quæ superiore decimo tertio titulo, per Verba Libertas involata expresso, jam diximus, & c.

& rursum æquè, imò magis fallente calamo citat S. Thomam, quasi ille 3. contra Gent. c. 89. ita loqueretur. [Causa prima movet unamquamque causam secundam ad suum effectum, secundum conditionem ipsius causæ secundæ; causam enim non potentem deficere, sic ad suum effectum determinat, ut ipsum necessariò absolute producat, causam autem, quæ deficere potest, ita determinat, ut tamen absolute deficere possit in producendo.]

119. Verùm hunc textum in toto capite 89. sapius perlecto reperire non potui; & præterea nihil eum favere Adversario patet ex dictis contr. 9. 11. & 13. & præsertim ex S. Thoma 1. p. q. 19. a. 8. in C. cujus Verba cit. contr. 9. jam reperi, atque ex illis ostendi, hoc ipso, quod causa absolute deficere possit in producendo, eam non determinari per decretum & qualitatem inimpedibilem, essentialiter connexam cum effectu, sed per motionem, seu auxilium, & indifferenter inclinans, & excitans Voluntatem creatam.

120. Quòd autem hæc solummodo formaliter se determinet per actionem, pro priori naturæ prædeterminatam à DEO casualiter (adeoque ex parte actus primi, ad quem causalis determinatio spectat) ita ut voluntatis indifferencia jam præsupponatur sublata, etique nihil aliud supersit, quàm ut determinatè ponat hunc actum, & nullum alium, quo modo etiam causa necessaria se formaliter determinat, dum per propriam actionem formaliter se reducit in statum actus agentis, hoc inquam, Adversarius minimè potest probare ex Verbis S. Thomæ 3. contra gent. c. 2. n. 7. Ubi ait. [à Contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid, per quod determinetur ad unum.] Nam supra in Contr. 11. jam ostendi, S. Doctorem loqui de contingente seu indifferente ad utrumque *indifferentiâ finis*, ad quem prius debet determinari, antequam potentia executiva producat effectum: non autem loqui de indifferencia & prædeterminatione physica causali ingenere causæ efficientis, ut patet evidenter ex cit. n. 7. addito n. 5. si uterque totus legatur: & ex 2. dist. 25. a. 1. in C. Ubi S. D. citata Verba repetit, & sic declarat. [Dicendum, quòd nihil agit, nisi secundum quod est in actu, & inde est, quòd oportet omne agens esse determinatum ad alteram partem: quod enim ad utrumlibet est æqualiter se habens, est quodammodo potentia respectu utriusque, & inde est, ut dicit Comm. in 2. phys. quòd ab eo, quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi determinetur: determinatio autem agentis ad aliquam actionem, oportet, quòd sit ab aliqua cognitione, præstistente NB. finem illi actioni: sed cognitio determinans actionem, & præsticiens finem, in quibusdam quidem conjuncta est, NB. sicut homo finem suæ actionis sibi præstuit. In quibusdam

verò separata est, sicut in his, quæ agunt per naturam.] Eodem modo Angelicus Doctor exponit prædicta Verba q. 3. de malo a. 3. ad 5. inquiens: *Dicendum, quòd voluntas, cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum NB. scil. per consilium rationis, nec oportet hoc esse per aliquid agens extrinsecum.*

121. Hinc tamen immeritò timet Adversarius, quòd si homo seipsum determinat ad unum, & si salvà libertate actus secundi non possit à DEO physice prædeterminari per qualitatem essentialiter connexam cum Uno, exinde sequatur, falsificari hæc Verba S. Thomæ, q. 22. de Verit. a. 8. in C. *Sicut Voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multò amplius DEVS.* Scientia enim Media dicitur DEO innumera auxilia, & circumstantias, quibus potest humanam libertatem inclinare, & flectere in quemcunque actum, & quòd in hunc finem DEO non sit necessaria aliqua qualitas prædeterminans, expressis his verbis S. D. I. c. testatur. [Immutat autem Voluntatem dupliciter, uno modo movendo tantum, quando scil. Voluntatem movet ad aliquid Volendum sine hoc, NB. quòd aliquam formam imprimat Voluntati, (Ecce! motio, qualis est cognitio directiva, seu excitativa existens in intellectu, potest consistere sine forma, seu qualitate prædeterminante, impressa voluntati; sicut potest consistere sine habitu superaddito, ut mox dicetur) sicut sine appositione alicujus habitus quandoque facit, ut homo velit hoc, quod prius non volebat: alio verò modo imprimendo aliquam formam in ipsam voluntatem. Sicut enim ex ipsa natura, quam DEVS voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum, ut ex dictis patet: ita ex aliquo superaddito, sicut est gratia vel virtus (Ecce nec hic facit mentionem qualitatis prædeterminantis infallibiliter & essentialiter, sed gratiæ vel habitus virtuosus supernaturalis) inclinatur ulterius (sed non prædeterminatur) ad Volendum aliquid aliud. Sed hæc quidem inclinatio superaddita quandoque est perfecta, quandoque imperfecta. Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat, sicut per naturam de necessitate inclinatur voluntas in appetendum finem (notet Adversarius, quale S. Thomas mox sit subjungitur exemplum, an qualitatem prædeterminantem, vel potius aliquam cognitionem aut habitum voluntatis non indifferenter) sicut contingit in Beatis, in quibus charitas perfecta inclinat sufficienter in bonum, non solum quantum ad finem ultimum, sed quantum ad ea, quæ sunt ad finem. Aliquando verò NB. forma superaddita non est usque quaque perfecta, sicut est in Viatoribus, & tunc ex forma superaddita voluntas inclinatur quidem, sed non ex necessitate.] Subsumo. Atqui si semper daretur qualitas essen-

essentialiter prædeterminans, forma superaddita semper esse omnino perfecta, & voluntas non tantum inclinaretur, sicut fit per auxilium supernaturale, additum Naturæ, sed ex necessitate non impediendi ipsam formam superadditam, & non frustrandi suo actu, cum quo est essentialiter connexa, voluntas poneret suum actum.

CONTROVERSIA XXVIII.

ACTVS INDIFFERENS.

Quare non sit possibilis actus Moralis in Individuo Indif- ferens.

122. **N**on dixit P. Haunoldus lib. 2. n. 379. Probationem veræ sententiæ negantis, posse dari actum moralem, in Individuo Indifferentem, quæ desumpta est ex obligatione naturali, referendi omnes actiones ad debitum finem, utcumque solvi posse, sed illam dixit, utcumque solvi posse, quæ desumpta est ex obligatione naturali, referendi omnes actiones ad finem ultimum, vel positivè honestum, & ideo substituit aliam, fundatam in obligatione naturali, attendendi ad hoc, an actio, quam quis vult ponere, non sit prohibita, ut proinde referatur ad finem saltem negativè honestum. Nec plus voluit dicere S. Thomas 1. 2. q. 18. a. 9. in C. inquit: [Cum rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni: necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis, à deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse, vel malum.]

Quodd enim S. D. per finem debitum non intelligat finem ultimum, vel aliàs positivè honestum, patet ex q. 2. de Malo a. 5. in C. ubi nisi ratione circumstantiarum loci, temporis &c. actus sit prohibitus, asserit illum esse honestum, etiamsi ponatur tantum propter necessitatem quandam justam. [Si enim (inquit) fiat quodcumque, quando oportet, & ubi oportet, & sicut oportet &c. huiusmodi actus est ordinatus, & bonus. Si verò aliquid horum deficiat, actus est inordinatus, & malus. Et hoc maxime considerari potest in circumstantia finis; quod enim fit propter justam necessitatem, vel propter piam utilitatem, laudabiliter fit, & bonus est actus: quod verò caret justa necessitate, vel pia utilitate, otiosum reputatur.] Ceterum quid per justam necessitatem, vel piam utilita-

tem S. D. intelligat, quodque sufficiat negativè pia, expressit in 2. dist. 40. a. 5. in C. [Finis autem ille est bonum conveniens homini, vel secundum animam, vel secundum corpus, vel secundum etiam res exteriores, quæ ad utrumque ordinantur, & hoc quidem bonum nisi sit contrarium illi bono, quod est hominis bonum (id est, modò sit negativè honestum, per hoc, quod non sit contrarium ultimo fini) secundum rationem, & rectitudinem Virtutis civilis habet, quia Virtus Civilis dirigit in omnibus, quæ sunt corporis, & etiam, quæ propter corpus quaruntur. Unde si his aliquis mediciter utatur, erit usus rectus: si autem secundum abundantiam vel defectum, erit usus vitiosus, virtuti oppositus: & ideo aliter secundum alios dicendum est, quod nullus actus à voluntate deliberata progrediens, potest esse, qui non sit bonus, vel malus, non tantum secundum Theologum, sed etiam secundum Moralem Philosophum.] Et in fine, postquam dixisset, sufficere ad honestatem actus, si servet medium virtutis inter excessum & defectum, & sit saltem negativè ad eam ordinetur, atque ultimè ad ipsam charitatem, quæ imperat omnibus virtutibus, subiungit S. D. [Siccomedere, & bibere, servato modo temperantiæ, & ludere ad recreationem, servato modo eutropiæ, quæ medium tenet in ludis, urdictur in Ethic, meritorium erit in eo, qui Charitatem habet, quæ DEUM ultimum finem vite sue constituit.] scilicet habitualiter, ut mox dicitur eodem S. D.

123. Denique omnium clarissime in responsione ad 7. ibidem testatur, ad honestatem actionis sufficere, etsi non actualiter referatur ad finem positivè honestum, modò habitualiter seu virtualiter (quæ duo S. D. frequenter pro eodem sumit.) per non retractionem ad illum ordinetur, & finis negativè honestus attendatur, ponendo actionem, quia non est prohibita propter ullam circumstantiam. Verba S. D. sunt: [Ad septimum dicendum, quod hoc, quod dicitur: Omnia in gloria Dei facite: potest intelligi dupliciter. Vel affirmativè, vel negativè. Si negativè: Sic est sensus: nihil contra DEUM faciatis: & hoc modo præceptum est: & sic præceptum hoc præteritur vel per peccatum mortale, quod contra DEUM fit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum, & præter DEUM fit. Si autem intelligatur affirmativè, hoc potest esse dupliciter, aut ita, quod actualis relatio in DEUM sit conjuncta actioni nostræ: solummodo non quidem in actu, sed in virtute: scilicet: non quidem in actu, sed in virtute: secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus: sicut & ipsum ordinatis, & sic adhuc est præceptum: & contingit omissionem ejus esse mortalem vel venialem: sicut dictum est. Vel ita, quod ordi-

natio actualis in Deum sit actu conjuncta cuilibet actioni nostrae : & sic potest intelligi dupliciter : vel distributive, vel collectivè : si distributive, sic est sensus : quaecunque actionem facitis, melius est, si eam actu in Deum ordinetis : & sic est consilium : si autem sumatur collectivè, sic est sensus : Omnia opera vestra ita faciat, quod nullum eorum sit, quin actu in Deum ordinetis : & hoc nec præceptum, nec consilium est. }

124. Ostendo, quod P. Haunoldus conveniat cum S. Thoma in probatione veræ sententiæ, videamus, an non etiam conveniat in solutione probationis desumptæ ex obligatione naturali, referendi omnem actionem ad finem positivè honestum. P. Haunoldus ita respondit. [Tamen si hæc probatio sit verosimilis, solvi tamen utcumque posset, dicendo, hominem tunc solum indecenter occupari rebus indifferentibus, quando periculum est, fore, ut sic impediatur ab operationibus honestis, ex obligatione ponendis, aut minus rectè perficiendis ; item quando facillimum esset, illas operationes indifferentes dirigere ad ultimum finem, & tamen ex tædio quodam & neglectu vult quis facere actionem propter jucunditatem, non curando illius aptitudinem ad ultimum finem.] S. Thomas q. 2. de Malo à 5. ad 8. similem dat responsum, ostendèdo non omnem actionem positivè referendam esse ad motivum charitatis erga Deum. quæ responsio etiam procedit de quocunque motivo positivè honesto, hoc ipso quod juxta ipsum S. D. possit dari actus moralis, quoad Speciem Indifferens, id est, nullius virtutis specificam honestatem continens. [Demeretur autem (inquit S. Doctor) aliquis per hoc, quod NB. obstaculum Charitati ponit, vel omittendo, vel committendo. Neque ille in Evangelio punitus dicitur, quia non habuit vestem nuptialem ; sed quia non habens vestem nuptialem ad sacrum convivium intraverat. Dicitur enim ei, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ?] Adeoque etiam juxta S. Thomam, actio non relata ad finem positivè honestum, est mala & demeritoria, non præcisè ideo, quia ad illum relata non est ; sed quia impediatur operatio honesta ex obligatione ponenda, & rectè perficienda : ut si quis absque charitate, & debita dispositione in peccato mortali ad S. Eucharistiam convivium intraret.

125. Hinc patet, quàm impertinenter dixerit Adversarius. [Sicur dedecet Regem, cum rusticis pascere porcos ; ita magis dedecet sublimem hominis naturâ, in actibus porcorum volutari, ac sistere in solo bono delectabili.] Pascere enim porcos est actio positivè vilis, ac servilis, adeoque dedecet Regem ; Bonum delectabile autem, & fructio boni delectabilis secundum menturam rectæ rationis, & ex fine sal-

tem negativè honesto, non est quid positivè inhonestum, neque ut sic est actio communis cum brutis. Vnde sicut non dedecet Regem occupari actione nec Regiâ, nec servili, sed in debitis circumstantiis quandoque laudabiliter eâ distrahitur, ita nec dedecet hominem fructio boni delectabilis, ratione finis nec positivè honesta, nec inhonesti.

CONTROVERSIA XXIX.

OPINIONVM PROBABILITAS.

An ex S. Thoma rectè probetur obligatio practicè sequendi Sententiam Probabilior.

126. Nec improbabiler, nec contra S. Thomam P. Haunoldus lib. 2. n. 281. affirmavit, quod liceat sequi opinionem Probabilior, relicta illâ, quæ videtur probabilior. Ut autem clarè ostendam, S. Thomam, si rectè expendatur, non evidenter, quemadmodum Adversarius sibi persuadet, sed neque inevidenter esse contrarium, allegabo totum textum, quo unice nititur Adversarius. Sic itaque loquitur Ang. D. Quodlib. 8. a. 13. [Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, sive etiam habeat opinionem, cum aliqua dubitatione. Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam : Er similiter quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra legem : quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendum est ergo, quod quando duæ opiniones sunt contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistorum, utpote habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem, & sic eum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra Conscientiam, sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita ut verè liceat habere plures Præbendas : & tunc distinguendum est : quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat, contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem : aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic, si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.]

127. Hic est totus textus, ex quo Adversarius putat evidenter definitur suam sententiam. Verum nisi is magis declararetur per Articulum 15. mox sequentem, evidenter etiam definitur à S. Thoma, nunquam posse hominem solum materialiter peccare, & bonam fidem, seu ignorantiam legis nunquam excusare à formali peccato. Sicut ergo in eodem textu prior pars assertionis est explicanda per hæc Verba S.D. art. 15. [Error autem conscientie quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur. Et in tali casu quamvis factum de se sit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccat venialiter &c. Quandoque verò error conscientie non habet vim absolvendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur & potest.] Sic, inquam, etiam posterior pars, quæ priori innititur, est eodem modo intelligenda, quando scilicet dubitatio inducitur ex contrarietate Opinionum, & quando quis potest ac tenetur majori investigatione certitudinis dubitationem prius deponere, hoc omittendo peccat, quia scilicet ipsa dubitatio peccatum est, & quia magis amat beneficium, quam propriam salutem, procurandam vel delectionem beneficii vel depositionem dubij, & idcirco dixit S. Doctor: *manente tali dubitatione*. Talis enim homo ita in animo suo est constitutus, ut dicat: etiamsi solum habeam opinionem dubiam pro retinendis duabus præbendis, & licet possem ac tenerer majorem certitudinem investigare, tamen retinebo ambas præbendas: & sic spontaneum periculum agendi contra prohibitionem duarum præbendarum, subitur ex peccato certo.

128. Hinc inquit S. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. in C. [Propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum; non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest; unde horum ignorantia invincibilis dicitur; quia studio superari non potest, & propter hoc talis ignorantia, cum non sit voluntaria, eò quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum.] Proinde si homo adhibuit omnem diligentiam debitam, tunc etsi maneat ipsi aliqua dubitatio speculativa (qualis etiam manet, quando licentia retinendi duo beneficia videretur quidem esse probabilior, sed non certa opinio) tamen dubitationem practicam facile potest deponere; modò judicet suam sententiam esse verè probabilem, & se hic & nunc nec posse nec teneri majorem certitudinem procurare. Prout iterum S. Thomas. 1. 2. q. 19. a. 6. in C. inquit: [Si autem sit error, qui causat involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumstantiæ, absque omni negligentia, tunc talis error rationis: vel conscientie excusat, ut

voluntas concordans rationi erranti non fit mala.] quia ut quis operetur modo humano prudenter, & consequenter honestè, juxta S. Doctorem sufficit, si dictamen remotum de conscientia actionis sit probabile ex conjecturis, neque ullam ipse exprimit necessitatem, ut sit etiam magis probabile. Ita enim loquitur 3. dist. 34. q. 1. a. 2. in C. ante medium. [In cognitione autem practica, quæ dirigit in operibus moralibus, invenitur duplex via, sicut & in contemplationis cognitione, scilicet inventio & judicium. In inventione autem modus humanus est, quod procedat inquirendo, & conjecturando ex his, quæ solent accidere, quia ex talibus & circa talia est moralis consideratio &c. In via autem altera modus humanus est, quod ex his, quæ frequenter solent accidere, homo de inventis per consilium judicet probabiliter, quod fit per gnomen, & sine finem: & ulterius ordinem hujus judicii (Conscientia enim, inquit idem S. Pater 1. p. q. 79. a. 13. secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientie ad aliquid, nam conscientia dicitur cum alio scientia) imponat inferioribus, quod fit per prudentiam, quæ præceptiva est.]

129. Atque huic declarationi citatissimè concessit ab Adversario adductum Cap. ubi periculum de electione in 6. Cujus veritas, quia ab Adversario omissa sunt, ego refero. *Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio plenius consulendum*, quibus ultra obligationem consulendi nihil additur. Consonat etiam clarissimis Verbis celeberrimus Thomista ex Summo Ord. S. Domin. Joannes à S. Thoma, qui Philippo IV. Hispaniarum Regi fuit à Confessoribus. Sic enim ille loquitur, 1. 2. q. 8. dist. 1. a. 3. [Quod attinet ad conscientiam, seu iudicium probabile, est unica Regula certa; licet sequi conscientiam & sententiam probabilem, dum modo de ejus probabilitate certo constet practice & prudentialiter, non solum speculative. Quæ probabilitate practica & prudentiali stante, quamvis speculative habeat quædam dubitationes & difficultates: imò NB. licet oppositum appareat probabilius, & tutius; licet potest talem conscientiam sequi.] Adhucque [Hanc regulam censeo generalem, & universalem saltem veram pro omnibus actionibus moralibus.]

130. Virget Adversarius auctoritatem S. Thomæ ex quodlib. 9. a. 15. ubi eandem questionem, an liceat habere duo beneficia Ecclesiastica, ait periculosè determinari, quia ambigua est, dum Theologi Theologis, & Jurista Juristis inveniuntur contrariè sentire. Atqui si utriusque sententiam liceret sequi propter utriusque probabilitatem, non esset periculo locus, nisi Doctorem non loqui de periculosa determinatione dictaminis practici, nam etiam, si venisset sententia Adversarii, hoc periculum jam esset sub-

sublatum per obligationem sequendi sententiam probabilior, si prohibitio videtur probabilior. Solum ergo periculum est quoad determinandam maiorem probabilitatem ipsius questionis, ne scilicet in ipsius resolutione committatur error vincibilis contra legem: unde ut pateat, ab Angelico Doctore in solam vincibilitatem erroris vel dubitationis obligationem ad peccatum refundi, hoc loco iterum inquit: [Dicendum, quod omnis questio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto. (quia nimirum esset vincibilis) Error verò, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac questione accidit.] Vbi proinde datur obligatio examinandi veritatem, ne per huius negligentiam quis se, vel alios, periculo exponat agendi contra legem, ob quod ipsa negligentia examinis esset peccaminosa.

131. Autoritati S. Th. præter suum more, addit Adversarius adhuc ratione pro improbanda sententia P. Haunoldi, inquit. Næc Haunoldus eum excusabit, qui in alio humano negotio gravi, in quo agatur de proprio cuiusque commodo, sequitur partem minus probabilem: multò minus itaque id faciendum est in negotio animæ, per text. cap. ubi periculum de Elect. in 6. In primis retorquet argumentum P. Haunoldus, & quaerit, quomodo illi, qui docent, ex suppositione, quod licentia retinendi duas Præbendas sit probabilior, licet eas retineri, etiam si opposita sententia esset tutior, quò minus saltem materialiter peccaretur, quomodo inquam, illi eum excusabunt, qui in alio humano negotio gravi, in quo agatur de proprio cuiusque commodo, sequitur partem minus tutam? an non multò minus itaque id faciendum est in negotio animæ? Distinguendum ergo est etiam in illorum sententia inter maiorem probabilitatem licentiae, & inter maiorem probabilitatem evitandi aliud damnum animæ propriæ vel alienæ, & sicut hæc non facit statim maiorem probabilitatem licentiae, sic e contra minor probabilitas licentiae non facit statim minorem probabilitatem evitandi damnum animæ.

132. Rem in exemplo declaro. Pona-mus cerevisiam esse probabilius materiam validam pro Baptismo, quam invalidam, eò quod probabilius sit substantialiter aqua: non tamen propterea est probabilius, imò ne quidem probabile, quod extra necessitatem liceat eam uti: sed regula prudentiæ: In dubio tutior pars est eligenda: hic cadit sub obligationem, quæ tamen in priori casu de duabus Præbendis retinendis solum caderet sub consilium, eò quod perfectius

& laudabilius esset, velle evitare omne periculum peccandi etiam tantum materialiter, etiam si formaliter non peccaretur per retinentiam duarum Præbendarum supposita maiori probabilitate licentiae.

133. Ratio autem, quare in priori casu tutior pars ex obligatione sit præferenda, est ista, quia quando licentia sequendi sententiam probabilior esset connexa cum alio probabili damno animæ, per ipsam actionis licentiam non auferibili, melius erat, ipsam licentiam non dari: nam si probabilior illa sententia, quod cerevisia substantialiter sit aqua, esset reverà falsa, infans per illam baptizatus pateretur eodem modo damnum animæ, sive actio baptizantis fuisset licita, sive non. E contra quia in casu de præbendis, ex licentia sequendi sententiam minus probabilem, (etiam si licentia retinendi duas ponatur minus probabilis) non sequitur aliud damnum animæ propriæ vel alienæ, neque etiam aliud damnum temporale, ex iustitia vel charitate proximi cavendum, ut pono in casu, sed quia solum periculum peccandi materialiter penitus evitaretur per dimissionem unius Præbendæ, quam probabilius vel minus probabiliter licuisset non dimittere, ideo in hoc negotio animæ neque est obligatio sequendi sententiam tutiorem ad evitandum peccatum materiale, neque probabilior, quantumvis ponatur prohibitio probabilior, modò opposita sententia etiam ponatur probabilis.

134. Vnde Adversario ad suum argumentum negatur suppositum, quod qui sequeretur sententiam severiorem circa particulare objectum magis probabilem, magis probabiliter procuraret immunitatem à peccato formalis; quia ex S. Thoma nondum ostendit, illicitum esse post sufficientem indagationem veritatis, sequi sententiam minus probabilem, cum tamen opposita sententia fundetur maximè in allegata auctoritate S. Thomæ, & potissimum in eorum Doctorum consensu, quibus fortè nunc non est liberum aliter interpretari Angelicum Doctorem.

135. Ad Cap. ubi periculum, jam respondi, potuissent tamè ab Adversario longè plausibiliora Capitula afferri. In primis Cap. Ad audentiam. Et Cap. Significasti. 2. De Homicidio. Ubi Sacerdos in dubio, an occiderit hominem, dicitur habendus pro irregulari, eò quod in dubiis tutior pars sit eligenda, & quod in hac electione nullum, in altero verò magnum periculum timeatur. Deinde in Cap. Illud Dominus de Clerico excommunicato, condemnatur Episcopus cum dubio de sua excommunicatione ex rationabili causa deposito, administrans Sacramenta, quia debuisset tutiorem partem eligere. Præterea in Cap. Juvenis de sponsalibus, reprobatu'r Juvenis alicujus matrimonium propter dubium impedimentum dirimens, ortum ex sponsalibus per

copulam attentatam cum consobrina uxoris nondum septenni.

136. Sed hæc Capitula, si quid probarent, imponerent obligationem non tantum sequendi sententiam probabiliorem, cum rei haberent, & secuti sint probabiles rationes pro sua innocentia; verum insuper sequendi sententiam tutiorem, etiam si minus tuta fundaretur in majori probabilitate. R. Itaque quod Pontifices in dictis casibus jure solummodo positivo præceperint sequendam sententiam tutiorem in reverentiam Sacramentorum, & in duobus postremis casibus etiam in penam delicti, ac negligentiae circa deprehendam veritatem.

CONTROVERSIA XXX.

EFFUGII PRÆCLUSIO.

An rectè probetur oppositum ex eodem S. Doctore.

137. **E**TSI principalis textus priori thesi ex S. Thoma adductus, & alius in præsentii thesi ex eodem S. D. in Confirmationem ab Adversario subiectus, P. Haunoldum minimè urgeat, ut ex præmissa utriusque clara expositione elucet, Adversarius tamen fugâ illi opus esse existimavit; hoc enim nomine per præfixum Controversiæ titulum insignivit argumentum P. Haunoldi lib. 2. n. 287. assumentis pro Majori, & fundamento Propositionem S. Thomæ quodlib. 9. a. 15. argum. 1. *Illud quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum;* ex quo subsumpsit P. Haun. Sed Ecclesia sustinet, ut pro dictamine conscientiae remoto quilibet possit sequi sententiam minus probabilem, relicta opposita probabiliore de prohibitione actionis: ergo hoc non vergit in commune periculum.

138. Ad hunc Syllogismum respondet Adversarius, S. Thomam non Resolutorie assensisse Majorem propositionem. vult adeoque modestè dicere, S. Thomam suæ resolutioni, in corpore citati art. stabiliendæ, quod liceat retinere plures præbendas, quando adsunt debite circumstantiæ etiam ab Ecclesia approbata, præmississe unum equitem levis armaturæ, & propositionem, non quidem in obiectionibus contra se, sed in argumento propriæ sententiæ assump. am, esse falsam, neque curanda esse illa argumenta, quæ S. D. Conclusioni suæ solet præmittere. Verum qui vel modicè versatus est in S. Thoma, compertum habet, à S. D. plus tribui suis argumentis, atque ab aliis etiam tribuendum esse.

139. Deinde licet, ut quædam Decretalis dicit, *Multa per patientiam tolerantur, quæ si in iudicium fuerint deducta, iustitia cogente cassarentur;* tamen loquendo non de iplis perperam fa-

ctis, quæ sæpè corrigi, aut impediri absque periculo gravius damni nequeunt, sed de doctrinis, fidei, vel bonis moribus, ex communione & plerorumque fidelium falsa persuasionem adversis, utique ab Ecclesia sustinendum non est, quod tali modo vergeret in commune periculum: Uti vergeret doctrina de licentia sequendi sententiam minus probabilem, si hæc esset falsa, & ut Adversarius contendit, perniciosius cum à longè majori parte Christi fidelium sit recepta, & à plerisque Doctoribus & Academicis constanter tradita ac practicata.

140. Ad minorem propositionem etiam respondet Adversarius: Prædictam doctrinam in genere esse prohibitam, quia Alexander VII. prohibuit 45. propositiones, plurimum Doctorum calculo firmatas: [Quod Christianæ disciplinæ sint relaxativa, & animarum perniciem inferentes, arctamque ad cælum viam, contra æternæ veritatis sententiam ampliant, ac dilant.] Verum prohibitio in genere nondum explet memoratam obligationem Ecclesiæ, quia nullus ferè esset efficacia. Deinde finis legis quævis hic sit universalis, nihil disponit de aliis objectis, per legem non expressis, quia ipse, ut etiam observat S. Thomas 2. dist. 40. a. 5. ad 7. non cadit sub legem; unde ex relatis verbis, demonstrantibus finem universalem legis prohibentis, neque inferri potest prohibitio generica. Denique Pontifex prohibendo sententias, minus per totum corpus Ecclesiæ diffusas, & minus universaliter damnosas, egisset officium imperii Medici, si partes quasdam minus principales, particularem errorem foventes, curasset, & citius ferè corporis curam neglexisset, non numerando sententias nominatim prohibitas illam, quam extra Thomistas, ceteri ferè omnes sibi persuasam habent.

141. Ceterum incubuisse Adversario, probare suum tacitum suppositum, quod sententia ab ipso impugnata sit sententia laxa; ad hunc enim infamis nominis impletionem non sufficit sola obligationis, ab opposita sententia assertæ, remissio; alias etiam licentia sequendi sententiam probabiliorem in materia minus tuta, imò omnis sententia benignior esset dicenda laxa. Hoc nomine ergo illa tantum mereant designari, quæ absque gravi fundamento habent obligationis relaxat, qualis utique non est ea, quæ plerorumque Doctissimorum Virorum intellectus ad se rapuit: ita ut noster Terillus 150. solum huius sæculi A. A. impressos, ab anno autem 1300. longè plurimos adduxerit; & M. Barnabas Gallego, Discipulus S. Thomæ, in tract. de Conscientia edito Madriti Anno 1627. dub. 1. de conscientia probabili, expressè testatur, prædictam sententiam esse communioram inter Thomistas, & sibi longè probabiliorem, pro qua allegat Barthol. de Medina, Dominicum Bannez, Petrum de Ledesma, Gregorium Mar-

CONTROVERSI A XXXI.

FVNDAMENTI EVERGIO.

*An adhuc aliis argumentis re-
cte probetur opposi-
tum.*

tinez, Didacum Alvarez, Ludovicum Lopez, Vincentium Candidum, Petrum de Lorca, Ludovicum Montefinum, Petrum Cornero, Petrum de Aragon. Michaellem Salon, Joannem Malderum Episcopum, Marcum Serra, & præter hos subtexuit longum Catalogum partim nostræ Societ. partim aliorum DD. His Prosper Fagnanus Cap. *Ne innitatis de constit. n. 25.* unus ex præcipuis Adversariis, fateretur accedere Theologos nostri temporis ferè omnes.

142. Unde argumento P. Haunoldi fundato in Autoritate S. Thomæ, & quoad utramque præmissam antè confirmato, addo aliud ex eodem S. D. 1. 2. q. 94. a. 4. in C. Ubi ait. [Dicendum est, quòd lex naturæ, quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & NB. secundum notitiam: Sed quantum ad quadam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes, etiam ut in pluribus, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam; sed ut in paucioribus potest deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta, & etiam quantum ad notitiam, & hoc propter hoc, quòd aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ. Sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ.] Subsumo. Atqui lex sequendi in practicis sententiam probabilior, neque ut principium commune, neque ut conclusio principiorum communium, est eadem apud omnes, ut in pluribus secundum notitiam, ut patet ex longè majori multitudine eam negantium; neque hujus defectus potest aliqua ex dictis causis assignari, quia hæc secundum S. Doctorem tantum habent locum in paucioribus, & non nisi injuriosissimè de tam innumeris Doctissimis & virtuosissimis viris diceretur, quòd habeant depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ. Ergo nulla datur lex naturæ, sequendi in practicis sententiam probabilior.

Positiva verò, scripta, vel ex consuetudine, multò minùs potest allegari. Plures rationes suppeditabunt sequentes Controversias.

143. P. Haunoldus lib. 2. n. 281. asserens licetum esse, accommodare se prudentis Viri judicio circa honestatem objecti, etiam tunc, quando contra proprium judicium, rationabiliter agnatum, ut probabilius, se alterius judicio subicit, non petivit principium; sed id ulterius probavit, dicens: ut patet, quando subditus contra propriam opinionem sequitur Opinionem sui Superioris, quod est summè laudabile, & omnium Ascetarum ore commendatum. Quam probationem (quamvis non sit unicum fundamentum communis sententiæ) Adversarius hac responsione evertere nititur. [Quando subditus contra propriam opinionem laudabiliter sequitur opinionem sui Superioris, non sequitur opinionem absolute minùs probabilem, relictà probabiliori: nam quia inferior suo non fidit judicio, quamvis apparenter magis fundato, Superioris opinio, non nisi ut probabilior, antefertur.]

144. Sed hæc responsio in primis supponit falsum, quasi sola Autoritas Superioris, sæpe longè indoctioris, & minùs veritati in sententiis & controversiis Scholasticis, subdito præbeat sufficiens fundamentum, sententiam Superioris judicandi probabilioris suæ opinionem, apparenter magis fundatam. Deinde si sola autoritas Superioris potest esse sufficiens ratio, assentiendi illius sententiæ, ut probabiliori, contra propriam Opinionem apparenter magis fundatam, tunc tantus consensus DD. Theologiæ speculativæ & moralis, ac utriusque Juris peritorum, virtute ac Religione, nec rarò etiam sanctitatis nomine insignium, & suam doctrinam ex S. Thoma confirmantium, atque ex eodem vel ex naturali lumine objecta facillè resolvunt, potest esse sufficiens ratio, assentiendi illorum sententiæ de licentia, sequendi opinionem verè probabilem, relictà probabiliori, contra propriam & illis contrariam sententiam, apparenter magis fundatam.

145. Unde sic argumentor ad hominem. Licet cuilibet sequi sententiam, quam prudenter judicat esse probabilior, etiam si opposita ad evitandum peccatum materiale quandoque esset magis tuta: sed quòd liceat in particulari, sequi sententiam minùs, verè tamen, probabilem, quilibet prudenter judicat esse probabilior sententiam, propter tot & tantorum D. D. auctoritatem, piorum Fidelium & Confessoriorum,



rum, continuam & universalem praxin &c. ergo licet cuilibet, in particulari sequi sententiam minus probabilem. Quod si autem Adversario sui Superioris iudicium pluris est, quam tanta autoritas, tunc opto ipsi Superiorem, qui teneat nostram communioem sententiam, ut tandem contra propriam Opinionem, iudicet illam, ut probabilioem.

146. Alium adhuc pro everfione Fundamenti P. Haunoldi admovit arietem Adversarius, ita discurrens. [Quilibet debet in agibilibus adhibere moralem diligentiam, ad cognoscendum, quid sit Verum, vel falsum, teste S. Thoma 1. 2. q. 76. a. 2. Id autem cum non praestet is, qui innixus Opinioni minus probabili agnitæ, dedita operâ sequitur id, quod magis apparet peccatum, & falsitas, quam contrarium, utique propter ignorantiam vincibilem, & veritatis contemptum, contra legem amicitiae Deo debita peccat; sicut is, qui faciens opus, quod probabilius credit, amico posse displicere, etiam si probabiliter non displicere, sibi persuadeat, amicum contemnit.]

147. Respondetur, S. Thomam 1. c. tantum dicere hoc: *quædam aliquis scire tenetur, sine quorum scientiâ non potest debitor actum recte exercere.* Ad hoc autem non requiritur, scire quid sit verum, vel falsum, sed quid sit verè probabile, utrum scilicet probabilitas immunitatis ab obligatione legis non enervetur à ratione pugnante pro obligatione legis; adeoque sic distingui possit prima propositio Adversarii. Quilibet debet in agibilibus adhibere moralem diligentiam, ad cognoscendum quid sit verum, vel falsum, veritate vel falsitate post sufficienter expensas rationes contrarias saltem adhuc probabili, & requisita ad dirigendum actum rectè, id est, absque peccato formali, exercendum, quodnam scilicet dictamen remotum possit cum veritate dici probabile, & quod non: hoc sensu concedo Adversario suam propositionem: Si autem illam ulterius extendat ad veritatem objecti præcepti, in se, & materialiter spectati, ita ut eo non præstito ponatur peccatum materiale, id est, materia peccati, circa quam daretur formale peccatum, si illa certò fuisset cognita, tunc nego propositionem præmissam; quia ut sic neque per cognitionem probabilioem scitur quid sit verum vel falsum; adeoque ignorantia est invincibilis. Si denique Adversarius suam propositionem intelligat de cognitione veri vel falsi magis probabili, & in qua sit minus periculum errandi à vero, tunc incidit in petitionem principii, Patri Haunoldo ab ipso objectam.

148. Præterea etiam subsumptum est falsum, qui enim post adhibitam moralem diligentiam à S. Thoma, relato in cont. 29. requisitam, non invenit rationem enervativam alterius gravis rationis deobligantis à lege, etiam si inveniret apparenter gravioem, is jam comparavit si-

bi omnem cognitionem, quam potuit, & tenetur habere, & sequendo cognitionem suam verè probabilem, relicta probabiliore, non peccat contra obligationem diligentiam ad cognoscendam veritatem. Itaque videtur, ab Adversario insuper supponi hanc propositionem, quæ omnino est in quaestione. Quilibet debet in agibilibus exequi illam cognitionem, quæ certius evitatur materialis transgressio legis, id est, legis prout à parte rei datur. Et hoc Adversario incumbit probandum contra manifestam rectorionem licentiæ, sequendi sententiam magis probabilem in materia, saltem minus probabiliter prohibita. P. Haunoldus enim præter fundamentum prædictum, nondum eversum, supponit insuper, quod in propriis actionibus quisque maneat in possessione libertatis à lege, quamdiu non certò constat, vel à legitima potestate supermi Pontificis, cuius est controversia fidei & morum decidere, definitur contrarium; quod est axioma receptum non tantum in materia iustitiæ, vi cuius melior est conditio possidentis, etiam cum minori probabilitate juris, donec legitimus iudex pro potestate accepta oppositum deciderit, etiam est communiter approbatum in materia legum; donec ab Adversario evitatur.

149. Exemplum autem, quod ex studio & cultu Amicitiae desumpsit, dicens. [Quod innixus opinioni minus probabili agnitæ, dedita operâ sequitur id, quod magis apparet peccatum, contra legem amicitiae, Deo debita peccat: sicut is, qui faciens opus, quod probabilius credit amico posse displicere, etiam si probabiliter non displicere sibi persuadeat, amicum contemnit.] Non tantum non everit iacta fundamenta, sed in quantum continet paritatem, potius illa firmat, in quantum verò disparitatem, haud quidquam debilitat. Paritas enim datur in hoc, quod sicut quando Omnisio actionis non esset necessaria ad evitandum aliquid aliud damnum Amici, quam præcisè ad evitandam displicentiam, orituram ex formali transgressione Voluntatis amici, hoc ipso opposita actio, procedens ex iudicio probabili de non adversante Voluntate amici, non esset apta ad dissolvendam amicitiam inter amicos, sic etiam actio procedens ex sententia probabili de negatione prohibitionis Divinæ, non sit apta ad dissolvendam amicitiam cum DEO, quandoquidem DEO nullum potest aliud inferri damnum, vel malum positivum, quam malum culpæ formalis. Disparitas autem consistit in hoc, quod actio probabilius displicens Amico, plerumque sit connexa cum alio damno præter displicentiam de transgressione formali Voluntatis Amici, & ideo illatio illius damni cedat in contemptum ipsius Amici; qui contemptus non habet locum in DEO; quia DEO non potest inferri ullus contemptus, nisi qui consistit in transgressione formali Voluntatis Divinæ.

CON-

CONTROVERSIA XXXII.

ABSURDITAS SEQUELÆ.

*Eiusdem Sententia opposita alia
Probatio affertur.*

150. **N**on tantum P. Haunoldus lib. 2. n. 283. libenter persuasisset, sed etiam actum persuasit, atque ex S. Thoma clarè deducitur, Legem sequendi semper opinionem probabiliorē, perniciosam esse. Nam juxta S. D. 1. 2. q. 95. a. 3. in C. ad finem, illa Lex est perniciosa, quæ non sufficienter est manifesta: refertur enim manifestatio ad cavendum nocumentum, quod ex ipsa lege posset provenire, inquit ille. Atqui juxta alium textum contr. 30. n. 148. ex eodem S. D. q. 94. a. 4. relatum, præfata Lex non est sufficienter manifesta, manifestatione tali, qualem S. Doctor ibid. ad legem naturalem requirit: ergo est perniciosa: cujus præterea incommoda aliqua recenset P. Haunoldus l. c. nempe, nimis frequentem difficultatem inveniendi, perplexitatem discernendi, & arduitate communiter & à plerisque insuperabilem, se submittendi legi, solum apparenter probabiliori, & adhuc incertæ, propter rationes insufficientes ad enervandas oppositas, & ad evertendum judicium rationabile ac prudens de licentia omittendi actionem, hinc & nunc sæpe valde præjudiciosam, damnosam, & arduam: ad quæ nocumenta S. Thomam in citato loco repressisse, est indubitatum.

151. Unde etiam si non propter quamcunque duritiem Lex certa & manifesta, qualis est præceptum de diligendis inimicis, & Confessione peccatorum, sit neganda ac deferenda, quæ propter ingentia emolumenta communis inter homines commercij, vel remissionem gravium peccatorum & poenæ æternæ jam aliàs debita, vel propter alia hujusmodi levamenta multum emollitur: tamen sufficit commemorata durities legis, sequendi semper opinionem probabiliorē, ad eam, utpote adhuc incertam, merito negandam, cum non tantum majoribus emolumentis etiam sit destituta, sed insuper, dum per illam intenditur diminutio transgressionum materialium, multiplicentur transgressionum formales Divinæ Voluntatis, & contemptatur ac spernatur donum gratiæ & Charitatis, corpi Regis David psal. 118. dilatantis, & juxta S. Thomam. 1. 2. q. 98. a. 1. ad 3. dari solita non volenti, neque currenti, sed ex dono misericordientiæ DEI, ad Rom. 9. Quod si autem ex præsumptione hujus doni, ab Adversario in Solutionem oppositi argumentario ex duritie legis esset infirma, etiam S. Thomas eandem duritiem inutiliter objecisset 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 4. contra

obligationem statim post commissum peccatum per Confessionem illud expiandi, dicens: Sed hoc videtur nimis durum. Neque etiam communiter rectè adhiberetur contra obligationem sequendi opinionem semper tutiorem, etiam tunc, quando hæc est minus probabilis, uti est illa Opinio S. Bonaventuræ & Hugonis de S. Victore, proximè à S. Thoma negata. Caveat itaque Adversarius, ne, non curatâ duritie, imponens obligationem incertam, incurrat reprehensionem eorum, de quibus S. Thomas exponens illa verba Christi Matth. 23. Alligant enim Onera gravia, & importabilia &c. inquit, adjiciunt præceptis Dei gravissima Onera, & ideo notatur præsumptio eorum, quia alligant alia Onera, super Onera à DEO imposita.

152. Putat ille quidem, satis sibi esse præcautum. [Cum enim (inquit) in moribus vix quidpiam sit tam turpe, quin ex aliqua plausibili ratione (debuisset Adversarius dicere, ex aliqua verè probabili ratione, ut argumentum Statum quæstionis attingeret) nanciscatur Amasium aliàs doctum, & pium: libertas eligendi sententiam minus probabilem sternit perniciosè latum, & roseum pontem, per quem Vix non omnia peccata turò transeant, ut maturius ponderarunt plures cordati Recentiores, non verentes multitudinem Authorum, aliter ab heretico, & nudius tertius sententium, (loqui videtur Adversarius in sensu Regij Vatis ps. 89. v. 4. Quoniam mille anni ante Oculos tuos, tanquam dies hersterna, quæ præterit.) & sæpe instar Ovium semutud sequentium.] (Si Adversarius hac similitudine doctrinæ Innocentiam vult denotare, bene dicit, si autem inconsiderantiam in quæstione tam gravis momenti, hæc dicens contumeliam illis facit: quasi verò illi, qui habent libertatem amplectendi quamcunque doctrinam sibi probabiliorē, magis se mutuo attrahant, quam illi, qui in certis quæstionibus, & præsertim in hac, quasi conventionē factā, condixerunt.) Verum ista, cum sine fundamento ab Adv. asserantur, facilè à P. Haunoldo negantur: quia cum docet, quod liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliore, turpibus aut laxis sententiis nullam per hoc adstruit probabilitatem, sed ea quandoq; sub principio universali, illud traducendi studio, malè & impertinenter subsumitur. Ipse verò P. Haunoldus n. 287. in fine expressè dicit, quod semper ab opinionibus laxioribus, & malè Sonantibus alienus fuerit, nec ulli novæ opinioni subscribat, nisi solida rationi, non facilè solubili innitatur: talis enim ad sententiam aliquam verè probabilem reddendam omnino est necessaria. Unde etiam quando Tamburinus lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. n. 3. inquit, eum bene operari, qui probabilitati, quantumvis tenui confidit, mox addit, modo à probabilitatis finibus non exeat, ad quam licet solida, nec facilè solubilis ratio requiratur, potest tamen comparatione

sententiæ oppositæ, solidioribus rationibus subnixæ, dici *tenuis*, absolute tenuem verò, nec P. Haunoldus nec P. Tamburinus, ut propriè & practicè probabilem admittit.

CONTROVERSIA XXXIII.

PECCATI NATURA.

An Peccatum habituale in Privatione Gratiæ, & actuale in Privatione Rectitudinis debitæ consistat.

153. **T**ria hic objicit Adversarius P. Haunoldo. Primum est, quòd suam & veram sententiam, qua lib. 2. n. 428. malitiam formatem constituit adæquatè in solo actu libero, non possit consequenter defendere, cum ex eodem argumento, quo deinde n. 504. probat, privationem gratiæ Sanctificantis esse partem constitutivam peccati habitualis, solis terminis mutatis probari possit, privationem rectitudinis debitæ esse partem constitutivam peccati actualis, sic argumentando. Illud est constitutivum peccati actualis, quo solo non posito, positis quibuscunq; aliis, non est positum peccatum actuale: sed sicut non posita privatione gratiæ, non est positum peccatum habituale, ita non posita privatione rectitudinis debitæ, non est positum peccatum actuale: ergo privatio rectitudinis debitæ est constitutiva peccati actualis, sicut privatio gratiæ est constitutiva peccati habitualis.

154. Alterum est: quòd P. Haunoldus n. 455. per decretum offerens concursus indifferenter ad peccandum vel non peccandum, cum intentione tamen potiùs actûs boni, quàm peccaminosi, non magis in tuto posuerit Sanctitatem DEI, quàm integritatem alicujus famuli, simile indiff. rens obsequium cum tali intentione offerentis.

155. Tertium est: quòd P. Haunoldus n. 462. (voluit Adversarius citare n. 562.) privationem gratiæ Justificantis statuens pro parte constitutiva peccati originalis, contradicat S. Thomæ 1. 2. q. 82. a. 1. ad 1. dicenti: *Peccatum Originale non est privatio pura.*

156. Ad Primum respondetur, Adversarium confundere privationem rectitudinis debitæ, realiter ab actu libero, essentialiter irrecto, indistinctam, cum privatione actûs oppositi debiti, (transmittendo pro nunc, ut inquit P. Haunoldus, dari hujusmodi privationem.) Prior privatio, quæ metaphysicè inest actu libero, est ipsa positiva differentia actûs liberi, excludens identitatem gradûs generici cû rectitudine debitæ: posterior privatio per transmissionem sup-

ponitur esse pura negatio, ordine causalitatis subsequens actum essentialiter irrecto, & excludens existentiam actualem actûs oppositi essentialiter recti, ac conformis dictamini rectæ rationis. Si itaque Adversarius intellexisset Verba P. Haunoldi cum debita distinctione dicentis, *Malitia formalis consistit adæquatè in solo actu libero*, & ne quidem completur per privationem subsequentem actûs oppositi debiti, transmittendo pro nunc dari hujusmodi privationem: facile advertisset, non negari à P. Haunoldo, privationem rectitudinis ab actu essentialiter malo indistinctam, esse partem metaphysicè constitutivam peccati actualis, quod solum probat argumentum Adversarii, abstrahendo scilicet, an illa privatio rectitudinis debitæ appellanda sit formalis, vel radicalis privatio.

157. Vnde abque præjudicio propria P. Haunoldi & veræ sententiæ, conceditur Adversario utraque præmissa sui Syllogismi, ex qua Adversarius contendat inferri consequens falsum, contradicit S. Thomæ, qui 1. 2. q. 79. a. 1. in C. expressè ait: *Peccatum nominat ens, & actionem, cum quodam defectu, id est, cum privatione rectitudinis.* & q. 82. a. 1. ad 2. *Actuale peccatum est inordinatio quædam actûs.* & q. 71. a. 6. in C. [Habet actem actûs humanus, quòd sit malus ex eo, quòd caret debita commensuratione: communis autem commensuratio cujusunque actûs determinatur per comparisonem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata erit.] & 2. q. 118. a. 5. [Omne peccatum hocipso, quòd est malum, consistit in quadam corruptione sive privatione alicujus boni.] Et post intervallum in fine corp. [Corruptio vel privatio boni formaliter se habet in peccato, conversio autem ad bonum commutabile materialiter.] & 2. dist. 37. q. 1. a. 1. in C. ubi distinguens inter significatum substantiæ, prout est primum prædicamentum, & prout per illam cujusvis entis essentia denotatur, inquit: [Secundo modo accipiendo substantiam, potest esse dubium: utrum peccatum substantia sit: eo quòd in actu peccati duo est considerate, scilicet ipsum actum, qui essentia quædam est in eo, quòd est actus: & sic procul dubio substantia est: vel etiam NB. ipsam privationem Originis, per quam malus est, & quia privationes essentiam non habent: ideo ex parte ista peccatum substantia non est, & quia peccatum dicitur peccatum, secundum quod privatum est debito ordine: ideo peccatum absolute loquendo, dicitur substantia non esse: sed tamen in quantum actus est, substantia est.] Ecce, quantum claris Verbis S. D. quamvis fateatur peccatum realiter esse aliquid positivum; formaliter tamen; & ex parte differentię peccaminosæ dicitur esse privationem rectitudinis debitæ: non autem actûs recti oppositi, cui contrariè non autem contradictoriè opponitur.

158. Ad Secundum. Quo sensu decretum indifferenter & sub disjunctione offerat concursus, jam contr. 16. satis declaratum est; quod utique Sanctitatem DEI magis in tuto ponit, quam illud, quod non solum determinat, sed etiam *impeccabiliter* offert concursus ad solam entitatem peccati, quacum, ut dixi, privatio rectitudinis debita realiter est identificata; Unde exemplum de famulo potest per retorsionem ad eum transferri, qui obsequia sua duntaxat ad peccandum Domino offerret, eumque etiam ad illorum usum prae-determinaret: pro cuius exempli, ut ab Adversario contra P. Haun. propositi, disparitate assignanda, sufficit Patri Haunoldo illa, quam contr. 26. ex S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 3. & q. 79. a. 1. retuli; quia licet Deus posset impedire peccatum non cooperando, tamen non tenetur, famulus autem & posset impedire, & tenetur impedire non cooperando immediate: hac autem disparitas non sufficit in Sententia Adversarii; quamvis enim excusaret Deum quoad Cooperationem, non tamen excusaret quoad prae-determinationem inimpedibilem, ut contr. 16. fufius explicavi, & diligenter notavit S. Thomas q. 3. de Malo a. 1. ad 6. ubi cum sibi objecisset: *Quicumque inclinat Voluntatem suam vel alterius ad malum, est causa peccati: Sed DEVS inclinat Voluntatem hominis ad malum; ergo est causa peccati.* Respondet. Dicendum, quod ratio illa non procedit: quia DEVS non inclinat (inclinaret autem vel maxime, si prae-determinaret) voluntatem ad malum, agendo, vel NB. movendo, (adeoque multo minus prae-determinando) sed gratiam non apponendo. Vnde idem S. D. (quod bene notandum est) quando juxta modum loquendi S. Scripturae, & SS. Patrum dicit, DEVM inclinare, excicare, obdurare ad peccatum, nunquam hoc explicat per positivam prae-determinationem, sed passim per negationem gratiae: prout rursus l. c. ad 1. ait: [Dicendum, quod DEVS dicitur tradere aliquos in reprobum sensum, vel inclinare Voluntates in malum, non quidem agendo vel movendo, sed potius deferendo, vel non impediendo.] Et praeterea Deus non excusaretur à Sanctitatis suae iminutione, si actum peccaminosum intenderet, & ideo P. Haunoldus dixit, Deum potius desiderare actum bonum, quam malum: quod ipsum voluit indicare S. Thomas 2. dist. 37. q. 2. a. 1. ad 1. ubi explicans, Deum non esse causam peccati, inquit: Dicendum, quod DEVS non eodem modo inclinat Voluntatem in bonum & in malum, inclinat siquidem Voluntatem in bonum administrando Virtutem agendi, & directe movendo ad bonum, (iterum nulla fit mentio prae-determinationis) sed ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam non prebet: per quam quis à malo retraheretur, & non quod directe (id est, ex intentione & desiderio procurandi peccatum) voluntatem in malum ordinet.



159. Ad Tertium. Quod debuisset Adversarius advertere ad particulam *Pura*. Nam etiam si P. Haunoldus dicat, Peccatum Originale constitui per privationem gratiae, tanquam per partem, non tamen dicit, quod sit adaequata Privatio pura: eam tamen praeter actum Voluntas Adami, & posterorum descensum ab illo, quorum utrumque requirit S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 1. in C. esse necessariam ad constitutionem peccati originalis quoad rationem maculae formaliter sumptae, indicat idem S. D. l. c. in principio, his verbis. [Dicendum, quod secundum fidem Catholicam est tenendum, quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros, propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad Baptismum NB. tanquam ab aliqua infectione culpae abluendi.] Subsumo. Sed per Baptismum non abluitur, id est, non tollitur praeteritio actus peccaminosi, neque alligatio Voluntas posterorum ad Voluntatem Adami, neque descensus seu propagatio ab illo, neque concupiscentia, (quam S. D. q. 82. a. 3. vocat peccatum originale materialiter sumptum) ergo infectio culpae abluitur, auferendo, tanquam partem constitutivam peccati, privationem gratiae, in quantum scilicet Baptismus est co-lativus gratiae. Et ex hoc argumento, quod ipse P. Haunoldus fundavit in Autoritate Concilii Milevitani, clarè patet, Peccatum Originale esse privationem gratiae, sed non puram: quia sufficit ad destructionem totius, destrui unam partem.

CONTROVERSIA XXXIV.

PECCATI INFINITAS.

An Peccatum mortale sit infinita malitia.

160. E Undem pariunt Sensum Verba P. Haunoldi lib. 4. n. 4. & Verba S. Thomae, 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. mox referenda; consequenter P. Haunoldus non jure ab Adversario arguitur, plus aequo peccati mortalis gravitatem diminuere, cum dicit: *Malitiam peccati non esse simpliciter infinitam; sed solum secundum quid. Esse infinitam secundum quid, colligitur ex infinitate personae offensa &c.* Nam ita etiam S. Thomas, pro particulis limitantibus secundum quid, utens particulam quandam, limitationis gratiam usui parit solita, ait: [Peccatum contra Deum commissum NB. quandam infinitatem habet ex infinitate Divinae Majestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.] Eandem particulam limitantem adhibuit, S. D. 3. dist. 1. a. 2. ad 5. dicens: *Quantitas peccati ex duobus potest pensari, scilicet,*

1 a

scilicet,

scilicet ex parte Dei, in quem peccatur, & sic NB. infinitatem quandam habet, prout offensa Dei est, quia quanto major est, qui offenditur, tanto culpa est gravior.] Similiter dist. 20. q. 1. a. 2. non sine eadem limitatione dixit: [Ad hoc ut satisfactio esset condigna, oportebat, quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum, pro quo fiebat satisfactio, habebat infinitatem quandam.] Rursum aliam limitationis notam addidit S. D. 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. ubi ait: [Venialia non sunt de necessitate Confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitate infinitam NB. quodammodo habent.] Hæc evidentia testimonia, si perpendisset Adversarius, utique eandem litem non rursus movisset thesi 73. in qua Controversia magis declarabo Mentem S. Thomæ; qui licet etiam Valori meritorum & passionis Christi, prædictas particulas limitantes addidisse legatur, 4. dist. 14. q. 2. a. 1. q. 1. ad 4. & dist. 15. q. 1. a. 2. ad 1. & q. 29. de Verit. a. 3. ad 4. & a. 5. ad 4. ex eodem tamen S. D. constat, illas non fuisse adjectas ad limitandum Valorem in virtute merendi ac satisfaciendi, quam certum est simpliciter esse infinitam, sed tantum ad denotandam limitationem in ratione Bonitatis physice & moralis, id est, Honestatis, profluentis ex gratia habituali, tanquam ex radice effectivâ, entitative finitâ: unde cum cit. q. 29. de Verit. a. 3. sibi ita objecisset. [Meritum hominis Christi fuit infinitum: Sed causa meriti est gratia: ergo gratia Christi est infinita; quia à causa finita non potest egredi effectus infinitus.] his Verbis sibi respondit. [Ad quartum dicendum, quod forma est principium actûs, secundum autem quod habet esse in actu, non est possibile, quod à forma, cujus est essentia finita, procedat actio infinita secundum intensionem: unde & meritum Christi non fuit infinitum secundum intensionem actûs; finitè enim diligebat, & cognoscebat: sed habuit quandam infinitatem (id est, in Bonitate intensionis limitatam) ex circumstantia Personæ, quæ erat dignitatis infinita.]

161. Quod itaque gravitas malitiæ non Arithmeticè, id est, æqualiter & perfectè, sed tantum Geometricè, id est, proportionaliter, ut inquit P. Haunoldus n. 21. commensuretur Divinæ Majestati, ex eo est evidens, quia Divina Majestas continet omnem perfectionem Bonitatis & Excellentie, peccatum autem non continet omnem perfectionem malitiæ, seu offensæ, quia unum mortale, non tantum est detestabilior conversio ad creaturas, quam alterum, sed etiam est detestabilior aversio à Deo, quam alterum: ob quam causam S. Thomas q. 2. de malo a. 9. ad 5. cum sibi contra dictam inæqualitatem peccatorum mortalium prius ita objecisset: *Infinitum non est majus infinito: sed quodlibet peccatum mortale est infinitum, quia est contra bonum infinitum, quod est DEVS; unde & pœnam infinitam,*

(extensivè, id est, æternam) meretur. Ergo unum peccatum mortale non est majus alio, deinde sic respondet. Dicendum, quod à Bono infinito NB. aliquis avertitur actu finito: & ideo peccatum essentialiter finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.

162. Hujus rationem à priori sapienter assignat P. Haun. n. 15. his Verbis, [Dignitas Personæ offensæ non augeat gravitatem offensæ secundum ipsam substantiam lûx dignitatis præcisè, & immediatè, sed eatenus, quatenus existit intentionaliter in mente ipsius offendentis, seu in quantum apparet offendenti: atqui cognitio, quæ peccator cognoscit Deum esse Bonum infinitum, est valde imperfecta, & limitata, ac æigmatica, repræsentans scilicet Bonum infinitum instar boni finiti: & est modò perfectior, modò imperfectior &c.] Neque rectè ab Adversario soliditur hæc ratio oppositione Unionis hypostaticæ, quæ mediante, licet quoad entitatem lûam finitâ, Verbum Divinum dignificat operationem Christi ad Valorem simpliciter infinitum: quævis enim unio in se sit finita, tamen conjunctum Verbum Humanitati Christi, prout illud existit à parte rei, & non tantum prout existit in intellectu, & ideo Persona Operans jam est à parte rei, & in figure loquendo, infinitæ dignitatis, mereturque verè & physice dici Deus, ut proxime infinita hæc dignitas personæ operantis per suum esse reale ac physicum, non autem per merum esse intentionale, dignificet merita Christi ad Valorem simpliciter infinitum, unde etiam una operatio, in actu primo virtutis lûx meritorie spectata, & seclusâ quasi conventionem Patris Cælestis, non est magis meritoria, quam altera, & omnes simul non magis, quam quælibet seorsim; quod salvâ inæqualitate peccatorum mortalium, tam quoad speciem, quam quoad numerum, à S. Thomæ & Theologis communiter assertâ, ab Advers. ad malitiam peccati mortalis simili ratione transferri non potest.

CONTROVERSIA XXXV.

REJECTÆ RETORSIONES.

An bene sint rejectæ.

163. Cum S. Thomas peccatum mortale tantum dicat esse infinitum terminativè, seu per Ordinem ad terminum extrinsecum infinitum, quemadmodum pœnam damni, seu privationem Visionis Beatificæ, respicientis & appropriantis Bonum infinitum, ratione hujus retoritur, ideo P. Haunoldus n. 19. mini dixit infinitum, ideo P. Haunoldus n. 20. prudenter retorfit argumentum Adversarii, tribuentis peccato mortali malitiam simpliciter infinitam in Amorem Dei super omnem, &c.

in Peccatum veniale; eum illius bonitas & hujus malitia tendat in terminum ſimpliciter infinitum. [Quod autem S. D. id ſolum, quod dixi, aſſerat, patet ex his illius Verbis. 1. 2. q. 87. a. 4. In peccato autem duo ſunt. Quorum unum eſt averſio ab Incommutabili Bono, quod eſt infinitum: unde ex hac parte peccatum eſt infinitum, (id ipſum dicit q. 28. de Veritate a. 2. in corp.) Aliud, quod eſt in peccato, eſt inordinata converſio ad commutabile bonum: & ex hac parte peccatum eſt finitum, tum quia ipſum Bonum commutabile eſt finitum, tum etiam, quia ipſa converſio eſt finita; NB. non enim poſſunt eſſe actus creaturæ infiniti. (ſcil. in intrinſeco, ſive in Bonitate, ſive in malitia: unde nec ipſius Chriſti operationes creatæ fuerunt infinitæ in Bonitate, & valorem infinitum non habuerunt à forma dignificante creatæ, ſed in creatæ; in quo iterum eſt diſparitas cum peccato mortali, cujus tota malitia formaliter eſt intrinſeca & identificata actui, & à termino extrinſeco infinito ſolum proportionaliter & finitè ſpecificatur.) Ex parte igitur averſionis reſpondet peccato pena damni, quæ etiam eſt NB. infinita: eſt enim amiſſio infiniti Boni, ſcilicet DEI.] Ecce! quomodo S. D. penam dicat infinitam præciſè ratione termini amiſſi: & hoc modo peccatum dicat infinitum, præciſè ratione termini offenſi. Sicut autem Viſio ſeu poſſeſſio Boni infiniti non eſt ſimpliciter & intrinſecè infinita, ita etiam amiſſio Boni infiniti non eſt ſimpliciter infinita, & ſicut hæc non eſt pena ſimpliciter infinita, ita nec peccatum eſt culpa ſimpliciter infinita: nec major eſt ratio, quare averſio à Deo, in ratione malitiæ ſit ſimpliciter infinita, & non etiam perfectæ converſio ad Deum, nempe charitas Dei in ratione bonitatis ſit ſimpliciter infinita: ideoque neutra eſt talis: licet ratione Juris, quod Deus habet ad exigendâ ſatiſfactionem condignam ſuæ Perſonæ, atque non ſolum malitiæ peccati, ſed inſuper infinitæ ſuæ excellentiæ proportionandam, poſſit exigere pro quolibet peccato mortali, quantacunque Bonitate ſatiſfactionis majorem & majorem in infinitum, à pura creatura ſibi præſtandam.

164. Quod autem etiam poſſit exigere penam in acerbitate infinitam, idque S. Thomas 2. diſt. 42. q. 1. a. 5. inferat ex infinitate peccati mortalis ratione malitiæ, Adverſarius graviter decipitur: nam S. D. oſtendens Deum non habere Jus exigendi penam Chimæricam, ex ore ſe dicit contrarium l. c. ad 2. [Dicendum, quod ex hoc, quod contra Infinitum peccat, debetur ſibi pena infinita. Non autem poſſe eſſe infinita in acerbitate, quia in creatura finita non poſſe eſſe qualitas infinita: ſed recompensatur per durationem infinitam.] Deinde ut ex citatis Verbis, & ex illis, quæ habet in Corpore articuli, manifeſtum eſt, æternitatem penæ S. D. non inferit ex infinita malitia, quæ deberet eſſe identificata a Qui, ſic enim jam daretur qualitas

infinita, ſed ex infinita magnitudine ejus in quem peccatur, adeoque ex infinitate peccati terminativè ſumpti: quia, inquit ibid. S. D. quanto eſt dignior, in quem peccatur: tanto peccatum magis puniatur: ita tamen, ut poena ſolum in duratione ſit infinita, in intenſione autem ſeu acerbitate ſit finita, & major vel minor, pro qualitate delicti.

165. Videamus nunc, quomodo Adverſarius reſpondeat ad retorſiones. Ut ergo aſſignet diſparitatem, cur averſio à Deo in peccato mortali ſit malitiæ abſolutè ac ſimpliciter infinitæ, converſio autem ad Deum in amore perfectæ ſit Bonitatis finitæ, his Verbis utitur, ad quæ ego per intercalares Parentheſes reſpondebo. [Nimirum actus Charitatis attingit Deum, poſitivè in illum, ut objectum, tendendo, conſequenter ſub modo capacitatis finitæ. nec adæquando Jus infinitum quod habet, ut honoretur.] Subſumo. Atqui actus Odii Divini attingit Deum, poſitivè in illum, ut objectum, tendendo, conſequenter ſub modo capacitatis finitæ, nec adæquando Jus infinitum, quod habet, ne gravius inhonoretur, nè gravius, aut frequentiori odio offendatur. [Peccatum autem mortale (pergit Adverſarius) non tendit in Deum, (hoc jam negavi) ſed eum, non ſolum prout ſe accommodat capacitati iſtius creaturæ aut illius, verum abſolutè totum deſerit; (etiam amor ad totum redit, & convertitur, uterque tamen actus deſerit, & redit modo, capacitati creaturæ accommodato, id eſt, finito) & ſic offendendo adæquat Jus infinitum, vi cujus in nullius affectu deberet creaturæ poſſe poni Creator. (Diſtinguo: adæquat Jus ſubjectivè ſumptum, ut quanta eſt dignitas perſonæ offenſæ, prohibens offenſam, tanta ſit Violatio Juris, & malitia illius: nego: adæquat Jus terminativè ſumptum, ſubdiſtinguo: Jus illud particulare, vi cujus poſſeſt prohibere hoc particulare peccatum: concedo: Jus illud Univerſale, quo poſſeſt innumeros alios actus & longè graves malitiæ prohibere: nego.) Qui propterea, quod ſit injuriæ mortalis ſubjectum mortale, infinitam in eam reſundit gravitatem.] (Hoc eſt in quaſtione, & retorquetur in amorem, cujus etiam Deus eſt ſubjectum mortale: quare ergo non transfundit infinitam bonitatem?)

166. Ad retorſionem de peccato Veniali, quod eſt actio pariens Deo diſplicitiam, & ratione hujus termini infiniti eſt tantò gravius malitiæ ſeu inhonestatis, quantò major eſt perſona, cui paritur diſplicitia: reſpondet Adverſarius tantum indirectè, inquit. [Sicut dignitas Regia tribuitur Coronæ, non papyro, calu exiſtenti in manu Regis; ita peccatum mortale, non veniale, capax eſt infinitatis.] Subſumo. Atqui Coronæ regia non eſt capax regni dignitatis, ne dicam, quod non ſit æqualiter capax, ſicut ipſe rex; ergo peccatum mor-

ale

rale non est capax perfectæ infinitatis, commensurata in malitia Majestatis Personæ læsa. Deinde peccatum mortale & veniale habet aliquid malitiæ, derivata à dignitate personæ, cui utrumque displicet: charta autem supponitur nihil participare à Rege: ergo est disparitas.

167. Inter retorsiones prædictas posuit Adversarius etiam sequelam, quam P. Haunoldus intulit, quod si malitia peccati tanta sit, quantus est valor satisfactionis, & meritorum Christi, ipse non satisfecerit superabundanter, nec unus actus Christi fuisset sufficiens pro omnibus peccatis. Ad hanc ita respondet Adv. [Cum etiam unica operatione pro omnibus peccatis satisfacere potuerit Christus, plures tamen pro Redemptione obtulerit; quid peccati infinitas, illius satisfactionis superabundantiæ derogat?] Sed in hac responsione supponit Adversarius id, quod ipse per responsionem debuisse salvare, quomodo nimirum unicus actus meritorius, malitiæ æquali, id est, secundum Adversarium, simpliciter infinita unius peccati mortalis, quoad vim satisfaciendi exhaustus, sufficiat pro omnibus; imò sit superabundans, ut communiter tradunt Theologi ac SS. Patres, ipseque S. Thomas 3. p. q. 48. a. 2.

CONTROVERSIA XXXVI.

MATERIA LEGIS.

An Lege Humanâ possit præcipi actus merè Internus.

168. Conformiter S. Thomæ docuit P. Haunoldus to. 1. de Justit. tract. 1. n. 36. Actus merè (quam particulam Adversarius non debuisse subtrahere) Internos à lege humana non posse præcipi, posse tamen præcipi, ut per se conjunctos actui externo, à quo possunt manifestari, tanquam ab effectu, vel cui tribuunt, tanquam forma essentialis, moralem estimationem. v. g. quando Ecclesia præcipit auditionem Missæ, Confessionem &c. præcipit attentionem, dolorem &c. [Quia hi actus sunt necessarii, ut quis dicatur moraliter audivisse Missam, Sacramentum Pœnitentiæ recepit. Rationem primæ partis P. Haunoldus l. c. reddit his Verbis: [Quia cum actus interni ex se sint insensibiles, non possunt à sensibili regimine gubernari, puniri, aut premiari, & consequenter non debent posse præcipi.] Eandem rationem approbat S. Thomas. 1. 2. q. 91. a. 4. in C. ubi ait: [De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: judicium autem ho-

minis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent.] Et q. 100. a. 9. in C. [Dicendum, quod sicut supra dictum est, præceptum legis habet vim coactivam; illud ergo directè cadit sub præcepto legis, ad quod lex cogit, coactio autem legis est per metum pœnæ, ut dicitur 10. Ethic. Nam illud propriè cadit sub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur: ad instituendam autem pœnam aliter se habet lex Divina, & aliter lex humana. Non enim pœna legis infligitur, nisi pro illis, de quibus legislator habet judicare; quia ex judicio læpunit: homo autem, qui est legislator humanus, non habet judicare, nisi de exterioribus actibus, quia homines vident, quæ parent; ut dicitur 1. Reg. 16.]

169. Vnde non tantum contra P. Haunoldum, sed etiam contra S. Thomam impetenter adducitur Cap. Dolentes de Celebrat. Missar. quo mandatur Clericis, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis DEVS dederit, studiosè celebrent, pariter & Devotè. Hic enim non præcipitur sola Devotio interna, sed directè præcipitur actus externus, cum devotione interna: & ex hoc confirmatur secunda pars assertionis P. Haunoldi: cujus tamen adjuvandum rationem, quod actus interni ideo etiam sub legem humanam cadant, quia Necessarii sunt ad moralem estimationem actuum exteriorum, hac similitudine eludit Adversarius. [Sicut non rectè sequitur: Terra esse non potest sine DEO in ipsa; ergo canis videus terram videt DEUM. Ita non sequitur: Horarum devota & studiosa recitatio esse non potest sine aliquo actu interno, ergo Ecclesia præcipiens devotam & studiosam Horarum lectionem, præcipit actum internum.] Verum Adversarius advertere debuisse disparitatem esse tantam, quanta est distantia terre à Cælo. Nam DEVS non est necessarius terræ, tanquam id, quod constituit rationem formalem intentam ab Oculo, nempe colorem, ut sit objectum Visionis: actus autem interni sunt necessarii tanquam id, quod constituit rationem formalem intentam à voluntate legislatoris ex parte objecti præcepti, scilicet, moralem estimationem Orationis externæ. Vnde iterum Adversarii argumentum ludicrum non est tam contra P. Haunoldum, quam contra S. Thomam, qui ex simili necessitate colligit, quidnam sub præceptum legis cadat, quid non: dum 1. 2. q. 90. a. 2. in C. sic discurret. [Quædam, N.B. si ne quibus Ordo Virtutis, qui est Ordo rationis, observari non potest, cadunt sub Obligatione præcepti: quædam verò, quæ pertinent ad bonum esse Virtutis perfectæ, cadunt sub admonitione Consilii.]

170. Itaque à Via Angelici Doct. adducit Adversarius, quando ejus quidem Autoritas allegatâ sic concludit. [Aliâ igitur incedendum]

dum est Viâ, & dicendum, attentionem internam non præcipi ab Ecclesia, quatenus Ecclesiasticam regit politiam, quod collimat S. Doctor hic q. 100. a. 9. sed in quantum interpretatur, & determinat legem Divinam.] Hæc inquam non est Via S. Thomæ: quia is l. c. Verbis paulo antè à me relatis, tantum dicit, actus internos directè præcipi non posse à legislatore humano, quia de illis non habet judicare. Atqui quando præcipitur actus externus, ad cuius moralem æstimationem necessarius est actus internus, tunc Legislator ex omisso actu externo potest etiam judicare de omissione actus interni: ergo per præceptum actus externi indirectè saltem præcipitur actus internus obaltam ex S. D. rationem Necessitatis: adeoque non potest dici, legem humanam esse tantum interpretativam, & ceterminativam legis Divinæ; sed dicendum, particulam devotè in cit. cap. esse verè præceptivam ex Voluntate ipsius Ecclesiæ.

CONTROVERSIA XXXVII.

GRATIA HABITUALIS.

An hæc realiter distinguatur ab habitu Charitatis.

Suspiciatur Adversarius, quia P. Haunoldus lib. 1. n. 90. intulit, Rationes à P. Perez pro impossibilitate substantiæ creatæ, cui sit conaturalis Visio DEI, ingeniosè excogitatas, posterioribus DD. non arrisiles; cū eas in elucubrationibus suis dissimulanter omiserint, simili indicio etiam non arrisiles P. Haun. rationem S. Thomæ 1. 2. q. 110. a. 3. pro distinctione gratiæ ab habitu Charitatis allatam, eò quod illam lib. 2. n. 622. pro eadem non adduxerit. Verum Adversarius non habet æquè justam causam suspicandi; quia enim tunc, quando P. Haunoldus conjecturam suam concepit, Tomus P. Perrezi adhuc erat recens, & multi ejus doctrinis, sicut recentibus frugibus inhæbant, ideo primum erat suspicari, doctrinam avidis ingeniis propositam, nec tamen arceptam, iisdem non placuisse. At de Omissione rationis S. Thomæ debuisse Adversarius potius cogitare, P. Haunoldum habuisse similem causam, qualem habuit ipse Advers. dum aliam probationem ejusdem distinctionis inter gratiam & habitum Charitatis non adhibuit, quando scil. S. D. 2. dist. 26. a. 4. in C. à principio ex eo, quod aliæ Virtutes non simul de nt denominationem Virtuosi & Grati DEO, intulit, neque ab habitu Charitatis utramque denominationem tribui. Vel saltem debuisset Adversarius sagaci ingenio prospicere,

quid in probatione S. Thomæ P. Haunoldo duplicare potuisset, quando ex conceptu Virtutis, quod sit dispositio perfecti S. D. distinctionem Charitatis à Gratia his verbis subintulit. [Dico autem perfectum, quod est dispositum secundum naturam. Ex quo patet, quod Virtus uniuscujusque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem &c. Manifestum est autem, quod Virtutes acquisite per actus humanos, de quibus supra dictum est, sunt dispositiones, quibus homo convenienter disponitur in ordine ad naturam, quæ homo est. Virtutes autem infusæ disponunt hominem altiori modo, & ad altiorum finem. Vnde etiam oportet, quod in Ordine ad altiorum naturam, hoc est, in Ordine ad naturam Divinam participatam, quæ dicitur lumen gratiæ.] Sine dubio occurrisset, quod etiam fides & spes sint Virtutes infusæ, & sint dispositiones perfecti, nec tamen semper supponant altiorum naturam præexistentem: cum ipsæ in homine peccatore perseverent, & præsupponantur ad recuperationem gratiæ. Et tunc potuisset Adversarius subicere Solutionem, etiam ad Fidem & Spem supponi gratiam, pro priori naturæ præexistentem, quando finem suum sunt consecutæ, sicut ad calorem & siccitatem præsupponitur forma ignis, quando post instantis primæ productionis, pro quo ad formam illam subjectum disponebant, deinde in conservando tanquam proprietates à sua essentia seu radice dependent.

172. Cum ergo hæc solutio etiam P. Haunoldo fuerit perfecta, aliam causam omittendi prædictam probationem assigno. Nempe quemadmodum S. Thomas l. c. Charitatem comparat Virtutibus acquisitis naturali potentia superadditis, & propterea non comparat ipsi potentia naturali, aliis autem in locis comparat potentia naturali, ipsi naturæ realiter superadditæ, & propterea ibidem non comparat Virtutibus, ut proinde S. D. utramque probationem locis paulo post referendis nunquam simul instituat, prout Adversarius fecit, simul & semel considerans Charitatem, ut Virtutem perfectivam potentia, & ut ipsam potentiam, ita probabiliter exemplo S. D. permotus P. Haunoldus usus est solum eâ ratione, quæ S. Thomas ex comparatione Charitatis cum gratia, veluti cum naturâ, realiter distinctâ à ceteris suis potentiis supernaturalibus, nempe à Fide & Spe, utpotè realiter separabilibus, intulit Charitatem realiter distinguere à gratia: quia verò S. Doctor hac comparatione non uno in loco, sed in pluribus utitur, nimirum 2. dist. 26. a. 4. & 6. & 4. dist. 1. q. 1. a. 4. q. 5. & 3. p. q. 62. a. 2. in C. ideo etiam P. Haunoldus hanc comparationem & probationem prætulit alteris à se omisissæ.

CONTRVERSIA XXXVIII.

CONDONATIO EXTRINSECA.

An Peccatum mortale sine Infusione Gratie, & Veniale sine Dispositione intrinseca Peccatoris à Deo condonari possit.

173. Cum sint diversissima quæstiones, An Peccatum mortale possit condonari absque qualitate intrinseca, formaliter excludente peccatum mortale habituale, & eidem contradictoriè oppositâ: & an peccatum Veniale possit condonari absque propria peccatoris dispositione, per se loquendo, & de Via Ordinaria semper in peccatore requisitâ, quamvis ipsa non sit formalis remissio peccati; hinc Pater Haunoldus lib. 2. n. 646. non fecit circulum vitiosum, responsionem affirmativam ad primam quæstionem probans per hoc, quod veniale possit remitti absque infusione qualitatis, tanquam formâ remissivâ; & vicissim responsionem affirmativam ad secundam quæstionem confirmans per hoc, quod mortale possit deleri per potentiam DEI absolutam sine proprio actu peccatoris, tanquam mera dispositione intrinseca ad formalem remissionem peccati. Sicut non conficeret circulum vitiosum, qui diceret, formam substantialem panis posse per Divinam potentiam existere sine subiecto, quia accidentia possunt existere sine subiecto, accidentia verò posse supernaturaliter, etiam cum quantitate, destrui; quia forma panis potest supernaturaliter destrui, quorum utrumque principium probatur ex mysterio S. Eucharistie.

174. Quod autem P. Haunoldus proprium actum peccatoris; v. g. fervorem Charitatis asserat esse meram dispositionem, & non esse formalem remissionem peccati Venialis, per hoc non adversatur S. Thomæ 3. p. q. 87. a. 2. ad 3. dicenti: [Ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam remouetur inordinata adhesio ad rem temporalem.] Nam etiam ad tollendam maculam corporis requiritur aqua, & ablutio, neutra tamen est formalis negatio maculæ. Vnde debuisset Adversarius distinguere inter hæc duo. Motus seu fervor Charitatis est forma tollens maculam in ratione habitualiter voluntarij, & est forma tollens maculam in ratione peccati habitualis; per attentionem enim extra Sacramentum peccatum mortale definit esse habitualiter voluntarium, nec tamen definit esse habitualiter perseverans in ratione peccati: imò nec ipsa contritio, quæ contradictoriè opponitur negationi retractatio-

nis, constituenti denominationem habitualiter voluntarij contradictoriè opponitur peccato mortali habitualiter perseveranti; hinc non per ipsam, sed per gratiam fit formalis illius remissio.

175. Quando igitur S. Thomas l. c. dicit, per actum procedentem ex gratia remoueri inordinatam adhesionem ad rem temporalem, quatenus sicut per peccatum voluntas fuit conversa ad rem temporalem, sic per actum Charitatis rursum avertitur à re temporali, & convertitur ad DEUM, solummodo testatur inordinatam adhesionem non amplius in voluntate habitualiter perdurare; & quia per peccatum Veniale nihil in voluntate est destructum, ideo præter actum Charitatis, contrariantem peccato actui peccaminoso, nihil debere in voluntate de novo produci; & quoad hoc instituit S. D. pluribus in locis paritatem quandam inter gratiam in ordine ad remittendum peccatum mortale, & inter fervorem Charitatis in ordine ad remittendum peccatum veniale, quia utraque forma ad verlatur peccato habituali, gratia tollit habitalem impurabilitatem, Charitas tollit habitalem voluntarietatem; utraque est intrinseca homini liberato à peccato, utraque sufficit ad remissionem peccati, ut neutri debeat superaddi alia forma intrinseca: pio formali tamen remissione peccati venialis, cum non habeatur ex Vi gratiæ cum actu Charitatis infusa, debet in DEO dari voluntas peccatum non amplius imputandi; quia, ut inquit Angelicus Doctor q. 7. de malo a. 11. in C. peccatum remitti, nihil aliud est, quam peccatum non imputari. Adeoque formalis remissio peccati est formalis non imputatio; hæc autem à DEO, non ab homine debet poni; unde is per suum actum non sibi formaliter remittit, vel non imputat peccatum veniale, sed tantum se disponit, ut absque alia forma intrinseca, sibi deinceps non imputetur peccatum, iuxta illud ps. 31. v. 2. Beatus Vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Econtra quia per peccatum mortale fuit destructa gratia, ideo ut per remissionem tollatur peccatum mortale, necesse est rursum infundi gratiam. Et ideo, inquit S. D. 1. 2. q. 113. a. 2. in C. non posset intelligi remissio culpæ, si non adisset infusio gratiæ. Quod vi præsentis Ordinationis Divinæ utique verissimum est.

176. Asseruit tamen P. Haunoldus Salvo illo Testimonio S. Thomæ, potuisse DEUM per absolutam suam potentiam, rem ita ordinare, ut remitteret peccatum mortale absque actuali infusione gratiæ, quia ex una parte ad remissionem peccati, abstrahendo à peccato mortali veniali, non est necessaria aliqua qualitas infusa; quod solum probavit P. Haunoldus ab exemplo Remissionis venialium; imò etiam mortalium in statu puræ naturæ potuissent sic remitti. Ex altera parte, si DEUS non intuitu pec-

peccati prateriti negasset gratiam, (quem intuitum de facto supposuit S. Thomas, & hinc verisimile dixit, quod non posset intelligi remissio culpæ &c. eundem supposuit etiam q. 28. de Verit. a. 2. in corp.) sed si ob aliam rationem, ob qualem etiam potuisset nullus hominum elevari ad statum supernaturalem, gratiam non restituisset, hoc ipso peccatum prateritum non imputasset, adeoque remississet, v. g. efformando tale decretum, quo dixisset: Nisi ego huic homini negarem gratiam supernaturalem ob aliam rationem à precedenti ejus peccato independentem, intuitu ipsius peccati non negarem. Huic itaque doctrinæ, nec à ratione, nec à S. D. alienæ, non rectè objecit Adversarius Vitium Circuli, ut jam ostendi.

177. Sed neque alteri responsioni ad secundam quæstionem vel Ratio vel S. Thomas adversatur. Non Ratio; quia si fervor Charitatis, vel penitentia saltem Virtualis, non est formalis remissio, sed mera dispositio subiecti, de facto quidem omnino necessaria, tunc Deus per absolutam suam potentiam potuisset sine illa adhuc ponere formalem remissionem. Non S. Thomas: quia licet S. D. 3. p. q. 86. a. 2. dicat: Impossibile esse peccatum actuale mortale sine penitentia remitti, loquendo de penitentia, quæ est Virtus; & paulò post: Non autem contingere potest, quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus; loquitur tamen S. D. ut cum hic explicat ejus interpret Card. Cajet. Solummodo de Via Ordinaria: Postquam enim utrumque textum retulisset Cajetanus, inquit: Sed pro præfenti proposito sufficit, verificare ea, quæ in littera dicuntur, secundum possibile, vel impossibile penes potentiam ordinariam; Sicut in Contr. 5. ex ipso S. D. ostendi, eum similibus verbis in eodem sensu usum esse: aliàs certè ratio à S. Thoma l. c. adjecta non esset satis universalis, quod Vitium utique Adversarius non vult imputari Angelico Magistro. Cur enim ad remissionem peccati secundum præsentem ordinationem Divinam simpliciter necessariam dixerit penitentiam, loquendo de penitentia, quæ est Virtus, & quæ etiam est votum seu propositum penitentia Sacramentalis, (nam ipsum Sacramentum in re susceptum neque de Via Ordinaria est determinatè necessarium necessitate medij ad remissionem peccati mortalis, cum juxta Trid. etiam per Contritionem extra Sacramentum possit remitti) hanc rationem assignavit, quam loco ab Advers. citato l. 2. q. 110. a. 1. etiam antè assignaverat. [Hoc interest inter gratiam Dei, & gratiam hominis, quod gratia hominis non causet, sed præsupponit bonitatem veram vel apparentem in homine grato: sed gratia Dei causet Bonitatem in homine grato, eò quod voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur, est causa omnis boni creati] Quæ ratio cum refundatur in Voluntatē Dei liberam, utique non probat, quod DEUS non potuisset aliter velle offensam remittere, quemadmodum

homo potest, ut scil. Voluntas Dei tunc nullam bonitatem positivam in homine causet. Nam utroque loco S. D. tantum ostendit, quod quidquid bonitatis Deus per dilectionem suam vult homini, id etiam causet, quod non facit homo homini, non autem quod semper & necessariò debeat velle bonitatem positivam, & quod non posset diligere hominem quasi negativè, nolendo imputare illi peccatum commissum, quin causet in eo actum penitentia, vel gratiam. Nec plus etiam probant alia tres rationes q. 8. de Verit. a. 3. in Corp. quas forsitan propterea Adversarius non adduxit.

CONTROVERSIA XXXIX.

GRATIA ET PECCATUM.

An utrumque simul possit in eodem subiecto stare.

178. Quia P. Haunoldus lib. 3. n. 311. præsententia (quæ pro se citat S. Th. 2. 2. q. 1. a. 4. & 5.) negante, objectum creditum fide Divinæ posse aliunde pro eodem tempore, ab eodem intellectu physicè evidentia cognosci, elegit sententiam affirmativam M. Alberti 3. dist. 24. a. 9. & S. Bonaventuræ ibid. a. 2. q. 3. quorum prior fuit Præceptor, & alter Coartaneus S. Thomæ; Adversarius quod opponeret, aliud non habuit, quam quod patiter concedendum foret, etiam peccatum & gratiam simul in eodem subiecto consistere posse, id quod negavit P. Haunoldus lib. 2. n. 678. etiam de potentia Dei absolutâ: cur enim non repugnet, idem esse Visum per Scientiam, & non Visum per Fidem, & tamen repugnet eundem hominem placere Deo per gratiam, & displicere per peccatum, est evidens disparitas; quia Visio affirmatur & negatur de eodem objecto respectu diversorum actuum, sibi non oppositorum, sicut tamen amor & odium erga eundem hominem, etiam si diversis motivis nitantur, sibi invicem opponuntur. Vnde ex contrarietate actuum voluntatis rectè quidem à pari probaretur impossibilitas affirmationis & negationis, etiam diversis motivis subnixarum, respectu ejusdem objecti materialis, in eodem intellectu: non tamen rectè inferretur impossibilitas duplicis affirmationis, quarum una Deum dicit omnipotentem propter motivum scientificum, & altera id ipsum dicit propter motivum fidei ex aliqua parte obscurum. Et licet una affirmatio quoad modum tendendi sit firmior alterâ, & altera sit clarior, tamen neutra alteri contrariatur, hoc ipso autem, quod non repugnet in eodem intellectu, respectu ejusdem objecti materialis, coexistentia hujusmodi duplicis affirmationis distinctæ, cessat ratio, ab

Ad-

Adversario P. Haunoldo opposita contra unum indivisibilem actum, idem objectum materiale affirmantem ex duplici motivo, Scientiæ, & fidei.

179. Ad id verò, quod addit Adversarius, *Fidem & Scientiam se habere, ut lucem & tenebras*, responderetur, paritatem claudicare; quia tenebræ sunt negatio omnis lucis, fides autem, quæ esset identificata cum tendentia in motivum scientificum, foret tantum negatio lucis deficientis ex parte motivi fidei, non autem ex parte motivi scientifici; sicut omnes debent fieri, eundem actum, quo obiectum eminus Visum, certò & evidenter iudico esse animal, obsecrare autem & dubie, esse equum, non vaccam, posse comparari luci, quatenus est affirmatio animalitatis, & tenebris, quatenus est affirmatio hincibilitatis.

180. Majorem impossibilitatem & oppositionem privativam rectè probat P. Haunoldus lib. 2. n. 681. inter peccatum & gratiam ex S. Scriptura. Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* & 2. Cor. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, quæ Societas luci ad tenebras.* & 1. ep. S. Ioan. c. 3. *Omni, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ejus in eo manet, & NB. non potest peccare, quoniam ex DEO natus est.* His enim textibus asseritur peccato esse conjuncta privatio gratiæ, & vicissim gratiæ esse conjuncta privatio peccati; quo modo fidei non est conjuncta privatio lucis existentis in motivo scientifico, sed existentis in motivo fidei. Et ideo est disparitas.

CONTROVERSIA XL.

GRATIA ACTUALIS.

Necessaria est ad omnem Operationem Bonam.

181. EX indubitato sensu totius Ecclesiæ P. Haunoldus lib. 2. n. 756. dixit, requiri specialem gratiam Dei, quæ det ipsum bene operari. Ex cujus assertionis veritate rectius Adversarius nullam sibi sumpsisset occasionem impugnandi P. Haunold. quàm quòd illi objecerit, non posse ab eo ostendi, in quo consistat prædictæ gratiæ efficacia, quâ Deus non tantum per modum Suadentis, sed infallibiliter Præmoventis det ipsum bene operari; aliud enim est, non posse, & aliud, non licere. Hoc ultimum fateretur ipse P. Haunold. n. 757. Et potuisset Adversarius ipsum Decretum prohibitionis factæ primum à Paulo V. & confirmatæ ab Urbano VIII. anno 1625, die 22. Maij, legere in præclaro ope-

re Adm. R. P. M. Joannis Bapt. de Lezana, Socii Generalis Carmelitarum, S. Congr. Indici Consultoris, ac in Sapiencia Rom. pub. Lectoris, qui quidem cum Decreto nore m. & transgressionibus annexas pœnas fideliter retulisset, deinde Explicationis loco subiungit. [Circa quod Decretum illud animadvertendum occurrat, quòd quamvis per ipsum prohibeatur imprimi libros tractantes, *sive ex professo, sive incidenter* de materia auxiliorum Divinorum; non tamen videtur prohiberi libros tractantes de aliquo puncto, difficultate, seu quæstione de auxiliis, aliud enim est materia de auxiliis, aliud verò punctus aliquis, seu difficultas prædictæ materiæ. Quod rationi, & intentioni Summi Pontificis congruere videtur; alias necesse esset materias alias Theologicas, quæ cum materia de auxiliis connexionem habent, non nisi imperfectè, truncatè & defectuosè imprimi. Maximeque hoc verum erit, si prædictus punctus modestè, sinceriter, & sine emulatione aliqua, ut docet, tractetur.] Ita cit. Autor to. 1. Oper. Regul. cap. 10 n. 24. cujus observationem refert, & approbat, & exemplo prædeterminationis, confirmat noster Franciscus Pellissarius in Manuali Regularium to. 2. tr. 6. c. 4. n. 42. Vndeque practitari à diversarum Religionum doctissimis Viris. Plura pro declaratione hujus decreti videri possunt apud nostrum Gab. Henao de Scientia Media historice propugnata in præfat. ad Lect. n. 2. & seqq. Verum quia Adversarius quæstionem movet non tantum coniecturam, sed præcipuam de auxiliis controversiam continentem, nempe de ipsa efficacia auxiliorum, eoque non tantum obiter, & ex suppositione plenioris notitiæ, sed fusius respondendum esset, ut quam in hac, & duabus sequentibus Controversiis præferebat, falsam suppositionem deponeret, ideo propter reverentiam Sedi Apostolicæ debitam, omnino remittendus est ad illos nostros Doctores, qui ante hanc prohibitionem Pontificis scripserunt, præsertim ad Doctissimum P. Ludovicum, opulc. de Gratiæ Efficaci cap. 15. & ad P. Suarez Opusc. I. de concursu, & efficaci auxilio Dei lib. 3. cap. 14. ac rursus Opusc. III. de auxilio efficaci à n. 37. imò ad ipsum S. Thomam contr. 11. & seqq. à me relatum, ubi saltem clare videbitur, nullà opus esse physicā prædeterminatione arbitrii creati; ex quo S. Doctore Adversarius etiam facile potuisset intelligere diffinitum inter *To movere & suadere*, si non solum ultima verba, sed integrum istum textum ex 1. p. q. 111. a. 2. retulisset: *Secundum quod aliquis est causa, quòd aliquid apprehendatur, ut bonum ad appetendum, secundum hoc movet Voluntatem.* Et si solus Deus efficaciter potest movere voluntatem; Angelus autem & homo per modum suadentis. Quomodo autem solus Deus sit causa, quòd aliquid apprehendatur, ut bonum, ibid. ad 2. expressè his verbis, *Dicendum, quòd damones non possunt*

sunt NB. immittere cogitationes, interius eas cau-
sando. Et post intervallum. Sed NB. Bonæ cogita-
tiones tribuuntur altiori principio; scilicet Deo, licet
Angelorum ministerio procurantur. Ubi S. Doctor
meminit prædeterminationis physicae, loco cog-
itationis bonæ, cuius inspiratione Deus dicitur
movere, & non præcisè suadere?

CONTROVERSIA XLI.

ORATIONES ECCLESIE.

*Per quas specialem Gratiā be-
ne Operandi à DEO petit.*

182. **E**tiam in hac Controversia, in qua Ad-
versarius rursus sibi petit explicari
efficaciam Divinæ Gratiæ, Orationibus Ecclesiæ
ac Fidelium petita, remitti à me debet ad citatos
Autores in præced. Contr. ex quibus clarè in-
telliger, quàm consona sit eorum doctrina cum
Verbis S. Thom. 1. dist. 41. a. 4. ad 2. ubi ait: Si
Stephanus pro persecutoribus non orasset, forte Pau-
lus salvus non fuisset; sicut si aliquis non faceret ope-
ra meritoria, non acciperet coronam, quæ prædestina-
ta est sibi; nec tamen prædestinatio frustrari potest,
NB. quia prædictum est à DEO, quod iste tali cau-
sâ, & tali ordine salvabitur. In quibus postremis
Verbis doctrinam allegatorum Autorum de effi-
cacia Divinæ Gratiæ, compendio, veluti in nuce
Iliadem continentibus, quia S. Doctor nullius
prædeterminationis physicae à S. Stephano petita
mentionem facit, facile colligo, neque ipsum
S. Doctorem à Deo eandem precari in sua ora-
tione, quæ incipit, *Concede mihi misericors DEVS*
*per verba illa; quod à me requirunt, ut faciam, tri-
bue, ut sciam: quibus Adversarius, Orationis*
*quoque initium malè referens, etiam addit: pos-
sum & velim: pro quibus tamen hæc ponere de-
buisse: Et da exequi, sicut oportet, & expedit a-*
nime mea.

183. Neque eandem Physicam prædeter-
minationem asserit S. Doctor lect. 3. ad cap. 5.
Dion. de Divinis nominib. cuius textum, cum
Adversarius non iudicaverit sibi multum con-
ducere, si eum exscriberet, quamvis in eo repe-
riatur Verbum *prædeterminavit*, ego tamen illum
præmissis textu S. Dionysij ad verbum referam,
ut ejus vis magis pateat. S. Dionysius ergo sic
habet. [Exemplaria autem esse dicimus in
Deo, existentium rationes substantificas, & sin-
gulariter præexistentes, quas Theologia prædif-
finitiones vocat, & Divinas, & bonas volunta-
tes, existentium prædeterminativas & effectivas,
secundum quas substantialis essentia omnia præ-
diffinit, & produxit.] S. Thomas ibi-
dem ita scribit. [Magna Opera Domini
exquisita in omnes Voluntates ejus. Quæ qui-

dem prædiffinitiones & voluntates sunt distin-
ctiva entium, & effectivæ ipsorum: quia & hu-
jusmodi rationes Super substantialis Dei esse præ-
determinavit, omnia produxit.]

184. In hoc utroque textu Vox *prædeter-*
minativas, & *prædeterminavit*, denotat decretum
prædefinientium omnium rerum existentias, neque
enim quidquam potest in tempore existere, quod
Deus vel positivè, vel negativè non ab æterno
voluerit & prædefinierit: & sic uterque S. Pater
docet, omnia absolute aliquando existentia vi-
deri à Deo in se ipso, tanquam in Exemplari;
quæ est ipsissima sententia P. Haunoldi, ut dixi
in contr. 11. sed ex neutro textu probari potest
aliquod decretum physicè prædeterminans libe-
ram voluntatem creatam, ab ipsa inimpedibile,
atque independens à Scientia conditionata, il-
lius directiva.

CONTROVERSIA XLII.

GRATIARVM ACTIO.

*Pro speciali Gratiā bene ope-
randi.*

185. **N**on est aliud objectum materiale gra-
tiarum actionis, quàm quod prius
fuerat petitionis, ideo quæstionis, in quo consi-
stat efficacia auxilii Divini, pro qua DEO gratiæ
aguntur, plena solutio, & falsæ suppositionis
per tres continuas controversias protractæ, cor-
rectio, præstabitur Adversario ab Auctoribus cit.
ubi rursus videbit quomodo conspirent cum
Angelico Doct. 2. 2. q. 106. a. 5. in corp. dicen-
te. In amicitia utilis debet recompensatio fieri secun-
dum utilitatem, quam quis ex beneficio consecutus
est. In amicitia autem honesti debet in recompensa-
tione haberi respectus ad NB. Electionem, sive ad
affectum dantis. Hunc autem affectum DEI de-
scripsit P. Haun. lib. 1. n. 545. his verbis. [Re-
spondetur, specialem benevolentiam cum gene-
rali providentia conjunctam, consistere in hoc,
quod DEUS etiam supposita Scientiâ mediâ de
Horum, & non illorum consensu sub conditio-
ne futuro, adhuc liberrimè ex mero beneplaci-
to dederit, & elegerit hunc Ordinem & seriem
gratiarum, quam vidit profuturam nobis, cum
tamen eadem libertate potuisset alium Ordinem
eligere, qui profuisset aliis, & non
nobis.]



CONTROVERSIA XLIII.

GRATIA EFFICAX.

An cum hac sit concedenda Prædeterminatio Physica Liberi arbitrij, in sensu diviso potentis conjungi cum actu opposito.

186. IN quocunque consistat Efficacia gratiæ, ejus Magistros, qui eam Adversario tradant, & locum ubi tradant, jam nominavi Contr. 40. frustra Adversarius nobis obtrudit suam Prædeterminationem physicam, ad verificandos geminos textus S. Thomæ 1. 2. q. 112. a. 3. dicentis: *Intentio DEI deficere non potest*: & 3. contr. Gent. c. 155. asserentis. *Omne quod de se est Variabile, ad hoc, quod figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis*. Nam S. D. pro fide verbis suis adstruendâ, ad longè alia auxilia moventia, & infallibiliter Divinam intentionem exequentia, respexit, nunquam tamen Prædeterminationem physicam in eorum numerum adduxit, quamvis lect. 5. lit. E. in ista verba Christi apud Joan. c. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et ego resuscitabo eum &c.* Satis multa enumeraverit. Referam itaque S. Doctoris in prædicta Verba accuratam commentationem, dum quid Christus per illa intenderit significare, sic declarat. [Sed hic est triplex quaestio. Prima est de hoc, quod dicit: *nisi Pater traxerit eum*. Cum enim ad Christum veniamus credendo, sicut supra eodem dictum est, venire ad Christum est credere in eum: credere autem nullus potest, nisi volens. Cum ergo tractio importat violentiam quandam, ergo qui tractus venit ad Christum, cogitur. Respondeo dicendum, quod hoc quod hic dicitur de hac tractione Patri, non importat coactionem, cum non omne trahens faciat violentiam: sic ergo multipliciter Pater trahit ad Filium, secundum multiplicem modum trahendi absque Violentia in hominibus. Nam aliquis homo trahit aliquem persuadendo ratione: & hoc modo Pater trahit homines ad Filium, demonstrando esse Filium suum; & hoc dupliciter, vel per internam revelationem &c. vel per miraculorum operationem &c. Item aliquis trahit alium alliciendo, Proverb. 7. Blanditiis labiorum suorum protulit eum: & hoc modo illi, qui attendunt ad JESUM propter Autoritatem Paternæ Majestatis trahuntur à Patre &c. Sed trahuntur etiam à Filio admirabili delectatione & amore Veritatis, quæ est ipse Filius DEI. Si enim, ut dicit Aug. trahit quemque sua voluptas, quanto fortius debet homo trahi ad Christum, si delectatur in veritate, beatitudine, iusticiâ &c. Sed quia non

solum revelatio exterior, vel objectum Virtutem attrahendi habet, sed etiam interior instinctus impellens, & movens ad credendum, deo trahit multos Pater ad Filium per instinctum Divinæ operationis moventis cor hominis ad credendum. Phil. 2. DEUS est, qui operatur in vobis velle & perficere. Osee 11. In funiculis Adami traham eos, in Vinculis charitatis. Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.] Ecce neque ad Sacra Scripturæ testimonia verificanda, S. D. auxiliis extrinsecis, atque intrinsecis, in solo impulsu illuminationis & delectationis interæ, scilicet in actu interno Intellectus aut Voluntatis ab ipso constitutis, post accuratam investigationem accensuit aliquam qualitatem ab actu Intellectus & Voluntatis distinctam, non solum officium movendi, & liberè trahendi, sed etiam prædeterminandi habentem. Imò manifestè eam negat 1. 2. q. 10. a. 4. in C. ubi ait: [Dicendum, quod sicut Dionysius dicit cap. 4. de Divin. Nomin. Ad providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare: Vnde omnia movet secundum eorum conditionem: ita quod ex causis necessariis per motionem Divinam consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur Voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic DEVS ipsam movet, quod non ex necessitate NB. ad unum determinat.]

187. Respondet tamen Adversarius, quod etiam si DEVS prædeterminet ad unum, tamen causæ contingentis non inferat necessitatem, vel libertatem illius corrumpat; sed ad eam servandam sufficiat, quod in sensu diviso cum prædeterminatione ad consensum possit existeret dissensus: Sicut videtur idem fatendum esse de Scientia Media, & de Decreto determinatæ prædefiniente consensum. Verum, hac responsione non salvati libertatem sic ostendo. Quia quando id, quod pro priori natura requiritur ad actum secundum, est à libero arbitrio creato inimpedibile, & quando illud inimpedibile in sensu composito etiam est inimpedibile cum omissione determinati actus secundi, hoc ipso actus secundus non est liber sed necessarius necessitate absolutâ, id est, simpliciter inimpedibili, seu necessitate consequentis, ut loquuntur Theologi, cum ipsi, quod sequitur, sit necessarius necessitate Causæ, necessariò agentis, & post se trahentis tale consequens, ut patet ex dictis Contr. 12. ubi ostendi, quod prædeterminatio physica non se teneat ex parte actus secundi, sed ex parte actus primi, hoc ipso, quod cum virtute activi liberi arbitrii pro priori naturæ præsupponatur ad actum secundum, ipsamque Virtutem activam proximè compleat, & ad actum secundum casualiter juxta Advers. prædeterminet. Vnde

sequitur, positâ prædeterminatione non tantum non dari potentiam ad simultatem duplicis oppositi actus secundi (quæ potentia ad libertatem uniusque non requiritur,) sed neque dari simultatem potentia proxima & completæ ad utrumque actum in sensu diviso, seu sub disjunctione ponendum.

188. Econtra, quando aliquid pro priori naturæ præsupponitur, quod ex suppositione suæ existentia est necessariò & infallibiliter conexum cum actu secundo, sed quod tamen erat impossibile ab arbitrio creato, per liberam determinationem suam ad alium actum secundum, sub conditione ejusdem auxilii ponendum, tunc actus secundus non est necessariò necessitate consequentis, hoc ipso, quod liberum arbitrium potuisset actum secundum consequentem impedire, impediendo ipsum antecedens impedibile: ex suppositione tamen, quod non impediverit illud antecedens, nempe præscientiam, & decretum prædefinitivum, vel permissivum, determinati actus secundi, iste actus secundus dicitur necessariò necessitate consequentia, seu à subsistendi consequentia, eò quod per bonam consequentiam logicam, concessâ infallibili præscientiâ actus secundi, necessariò inferatur illius existentia. Sed hæc est tantum necessitas conditionata, seu hypothetica, ex suppositione alicujus antecedentis Impedibilis à libero arbitrio.

189. Vnde quia prædeterminatio physica suâ Impossibilitate, vi cuius neque in existendo, neque in causando potest impediri à libero arbitrio creato, destruit necessitatem merè conditionatam, seu necessitatem consequentia, & respectu etiam liberi arbitrii, per ipsam prædeterminationem primum proximè ad agendum compleri, inducit necessitatem absolutam, seu consequentis; propterea adversatur communi doctrinæ Theologorum, constanter admittentium prædictâ divisione necessitatis in absolutâ, & conditionatâ, seu in necessitate Consequentis & consequentia: quæ divisio approbata est à Concilio Colon. an. 1536. & à S. August. relato in cap. *Vasis iræ* S. quamvis ergo 23. q. 4. atque ab ipso S. Thoma. q. 24. de Verit. a. 1. ad 13. pro concilianda libertate cum præscientia DEI est adhibita: ubi ait: [Ex præscientia DEI non potest concludi, quod actus nostri sint necessarij necessitate absolutâ, quæ dicitur necessitas consequentis; sed necessitate conditionatâ, quæ dicitur necessitas consequentia, ut patet per Boët. in fine de consolatione Philosophiæ.]

190. Atque ex his patet, quod licet dicat Adversarius, se suum sensum compositum, & divisum non sic explicare, quasi dissensus non possit poni cum potentia prædeterminata ad consensum ex defectu potentia proxima ad dissensum; sed tantum quod non possit poni cum prædeterminatione, quæ non est ipsa potentia,

nec complet potentiam: tamen protestatio est contraria facto: quia enim prædeterminatio ad consensum tenet se ex parte potentia completæ, & non ex parte actus secundi, nempe consensu; propterea dissensus non potens stare cum prædeterminatione, hoc ipso non potest stare cum potentia proxima, & in actu primo completâ ad consensum, & ipsa prædeterminatio complens potentiam ad consensum, facit, ut potentia volitiva non sit proximè completa ad dissensum: ideo nostri Auctores, qui datam responsionem, ex sensu composito, & diviso desumptam, impugnant, quod non sufficiat ad libertatem possibilitatis dissensus in sensu diviso à potentia proxima, non supponunt hanc divisionem à potentia proxima ab Adversariis asseri; sed suis argumentis convincunt, non posse non asseri, hoc ipso, quod asseratur sensus divisus à prædeterminatione, constituyente & complente potentiam proximam.

Neque huic principio, ut impossibilitas sensus compositi non obstat libertati, necesse est, eam impossibilitatem non fundari in aliquo impedibili pro priori naturæ præsupposito, ac determinato tantum ad unum, ullâ ratione contradicit, sed potius in illo se fundat S. Thomas 3. contr. Gent. c. 98. quando ait: [Nihil DEUS facere potest, quin sub ordine suæ providentiæ cadat: sicut non potest aliquid facere, quod ejus operationi non subdatur: potest tamen alia facere, quàm ea, quæ subduntur ejus providentiæ, vel operationi, si absolutè consideretur ejus potestas.] scil. in sensu diviso suæ providentiæ, per suam libertatem impedibiliter, & libere volentis tantum ea objecta, quæ illi de facto subduntur, & quæ cum eorum oppositis sunt incompatibilia.

CONTROVERSIA XLIV.

COMPLEXIO NATVRALIS.

An hæc conducât ad Actus supernaturales.

191. Quando P. Haunoldus lib. 2. n. 793. dixit, *Ratione indolis & Complexionis naturalis, secluso omni extrinseco, unum est melius dispositum ad bonum usum gratiæ, quàm alium; non ita ruditer intelligendus est, quasi velit secludi DEVM in ratione principij effectivi, vel principij: nam nunquam intendit asserere, quod homo possit habere dictam meliorem dispositionem, vel eâ uti sine DEO, illam dante, & ad usum concurrente, sine quo neque is, qui minùs bonam indolem & complexionem accepit, eandem accipere, & ad usum gratiæ ullâ ratione disponi potuit: cum ergo in complexione dispares, in principio effectivo extrinseco increato*

M

MAR

sint pares, non est ratio, istud secludendi. Vnde impertinenter impugnatur P. Haun, duplici testimonio sancti Thomae. 2. Cor. 2. lect. 3. dicentis: *Ipsa preparatio mentis humana est ex Virtute Divina; nam licet facilitas, qua mentes preparantur, sit causa conversionis; tamen ipsius facilitatis, & preparationis causa est DEVS.* Et 1. 2. q. 112. a. 2. in C. *Quaecunque preparatio in homine esse potest, est ex auxilio DEI moventis animam ad bonum.* Solum itaque voluit significare P. Haun, quod seclusa meliori educatione, ac disciplina externa, cuius n. 797. expressè meminit, indoles & complexio congenita reddat hominem melius dispositum ad bonum usum gratiae: quae est expressa Sententia S. Thomae 1. dist. 17. q. 1. a. 3. in C. ubi ait: [Dicendum est igitur, quod mensura, secundum quam datur charitas, est capacitas ipsius animae, quae est ex natura simul, & dispositione, quae est per conatum operum, & quia secundum eundem conatum magis disponitur natura melior; ideo qui habet meliora naturalia, dummodo sit par conatus, magis recipiet de perfectionibus infusis.] Et 1. 2. q. 63. a. 1. in C. [Ex corporis dispositione aliqui sunt dispositi, vel melius vel peius ad quasdam Virtutes.] Et paulò post. [Sic ergo patet, quod Virtutes in nobis sunt à natura secundum aptitudinem, & inchoationem, non autem secundum perfectionem.] Et ibid. ad 3. [Tertia verò ratio procedit secundum quod ex naturali dispositione corporis, quam habet ex nativitate, unus habet aptitudinem ad miserendum, alius ad temperate vivendum, alius ad aliam virtutem.] & q. 71. a. 2. ad 1. cum sibi objecisset. [Virtutes non sunt in nobis à natura, sed causantur in nobis per infusionem, aut ab assuetudine.] Respondet: [Virtutes, etsi non causantur à natura secundum suum esse perfectum, (quo Vocabulo excipit, juxta prius dicta, esse imperfectum, & inchoatum) tamen inclinant ad id, quod est secundum naturam.] & 2. 2. q. 123. a. 1. ad 3. [Nec tamen est contra rationem Virtutis, quod ex naturali complexione aliqui habeat naturalem inclinationem ad Virtutem.] Hoc ipsum etiam testatur quotidiana experientia.

192. Sed infert Adversarius, ex hoc etiam sequi contra P. Haunoldum, lib. 1. n. 159. quod, si naturalis indoles, & complexio deservit ad meliorem usum gratiae, non obstante suâ improportione, etiam major nobilitas Intellectus Angelici, quam humani, conducat ad perfectiorem Visionem DEI cum æquali lumine gloriae producendam, non obstante naturali improportione. Hoc illatum non tantum est contra P. Haunoldum, sed etiam contra S. Thomam, adeoque vel nec P. Haunoldus, vel etiam S. D. sibi ipsi repugnat, iste enim 1. p. q. 12. a. 6. ad 3. iterum Ducem se præbet, inquiens: *Diversitas*

videndi erit per diversam facultatem Intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam: hujus diversitatis unicam radicem in luminis gloriae intellectualitate etiam constituit 4. dist. 49. q. 2. a. 4. & 3. contr. Gent. c. 58. conformiter Concil. Florent. ult. in litteris Unionis. Itaque facile negatur illatum, & duplex manifesta ostenditur disparitas.

193. Prima est, quia melior indoles, & complexio naturalis solummodo dispositive dicitur servire ad meliorem usum gratiae, quatenus Voluntas à comprincipio supernaturali elevata facilius se determinat ad usum supernaturalem gratiae, quando ratione complexionis melioris, & inclinationis ad similes actus naturales, minorem experitur resistantiam, sed potius maiorem inclinationem ac facilitatem. Econtra major nobilitas intellectus Angelici, non tantum dispositive, sed effective debet servire ad perfectiorem Visionem Beatificam.

194. Altera disparitas est, quod Bonum usum gratiae consistat in actibus supernaturalibus, à cognitione abstractiva dependentibus, quorum similes naturales homo tantò melius potest producere, quantò meliorem habet indolem ac complexionem, sed Visio Beatifica non tantum est supernaturalis, sed in modo tendendi intuitivo prorsus est dissimilis modo tendendi abstractivo, ad quem solum se extendit perfectior intellectus; cum enim modus cognoscendi sequatur modum essendi, modus autem cognoscendi DEVM intuitivè sit supra modum essendi etiam angelicum, qui, utpote Substantia perfectibilis, hoc ipso omnia cognoscit ad modum entis perfectibilis, ideo modus cognoscendi Deum intuitivè, prout est in se omnino imperfectibilis, superat modum cognoscendi Angelicum, & perfectionem intellectus excessivam, ita ut jam sit supra Sphaeram activitatis, quantumcunque perfecti intellectus creati.

195. Utraque tamen improportio, tam ex supernaturalitate Visionis intuitivæ, quam ex modo tendendi proveniens, suppletur per lumen gloriae, sed juxta mensuram suae perfectionis, ut proinde cum æquali lumine ab inæquali intellectu producat Visio æqualiter commensurata perfectioni luminis gloriae; cui physico influxui tamen potentiae naturalis in Ordine ad Visionem Supernaturalem, nihil obstat, quod etiam si similiter Intellectus influat in actus fidei, in Via elicitos, & voluntas in actus supernaturales meritorios, Adversarius exinde opponat, respiciendo in natura constitui aliquod initium fidei, & gratiae semen: ad hoc enim jam ex instituto responsum est Controversiæ quartâ.



CONTROVERSIA XLV.

GRATIA SUFFICIENS.

*An hac detur omnibus Adultis
ad resurgendum à pecca-
tis.*

¶ 96. **L** Inquam, inquit Adversarius, P. Haunoldi lib. 2. n. 764. dicentis, *Gratiam moraliter sufficientem dari omnibus, etiam reprobis ad resurgendum, si post commissum peccatum aliquamdiu cum usu rationis supervivant; premunt, qui nondum loqui valent: Baptismus enim in nova Lege est unicum remedium ad Salutem parvulorum sufficiens; & tamen non confertur omnibus parvulis. Verum, si parvuli in testimonium adducti loqui valerent, dicerent, ab Adversario in relato textu P. Haunoldi omisam fuisse particulam Peccatoribus, quâ adultos & ad resurgendum idoneos designabat, proinde se, utpote in assertionem illam non comprehensos, linguam premere non posse; imò n. 764. expressè fuisse exceptos, propter relatam ibid. Autoritatem S. Augustini, frequenti experientia confirmatam.* Ad argumentum verò, à comparatione adultorum cum parvulis petatum, & ab Adv. his verbis propositum. [Cum DEVS nō sit benevolentior impiissimis hominibus propria Voluntate repugnantibus, quàm innocentissimis personaliter parvulis, et si originali culpâ coquinatis, cur non conceditur, adultis aliquando in penam gravissimorum peccatorum sufficientia auxilia denegari.] Responderent, argumentum à minori ad majus nimium probare, quia non tantum aliquando, sed semper in penam gravissimorum peccatorum auxilia sufficientia deneganda essent; de illis enim, quibus non negarentur rediret propositum argumentum. Disparitatem autem instituta comparationis minoris cum majori, P. Haunoldus cit. n. 764. hoc discursu assignat. [Si aliquamdiu post peccatum homo utatur ratione, non est moraliter possibile, quin occurrat memoria peccati commissi, & illius fœditas, quæ homini elevato representatur per cognitionem proportionatam statui, hoc est, supernaturalem, si peccatum commissum est contra Deum, ut Auctorem supernaturalium; quæ cognitio cum sit medium ordinatum ex natura sua ad finem supernaturalem, pertinet ad providentiam DEI, non permittere, ut si homo tali cognitioni cooperetur, deficiat ulterius remedium justificationis.] Nempe quia facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Ex hujus discursus suppositione S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 8. ad 1. inquit: *Quia ex ejus defectu est, quod homo se ad gra-*

tiam habendam non præparat, propter hoc à peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest. Excusaretur autem à peccato, nempe impenitentia finalis, si se non posset præparare, vel si Deus negaret gratiam ritè præparato.

197. Opponit tamen Adversarius ulterius textum S. Thomæ 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. quo ipse ait, nihil potuisset clarius dici. [Quibuscunque datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in penam præcedentis peccati, saltem Originalis, ut dicit Augustinus in lib. de Corrept. & gratia.] Pro responsione reddo alium textum S. Thomæ 3. contr. Gen. c. 159. [Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire: ut dicitur 1. Tim. 2. sed illi soli gratiæ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant.] Juxta hæc Verba, supponentia prædictum P. Haunoldi discursum, debuisse Adversarius distinguere inter auxilia proximè ac immediatè sufficientia ad resurgendum, & inter remotè ac mediatè sufficientia; pro his stat assertio P. Haunoldi, pro illis, de quibus S. Doctor in textu Adversarii locutus est, non stat. Et hoc discrimen apertè supponitur à S. Thoma 1. dist. 40. q. 4. a. 2. in C. ubi ait: [Istum (intelligit hominem obduratum) carere gratiâ ex duobus contingit. Tum quia ipse non vult recipere. Tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, NB. ut secundum non sit, nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit, nisi bonum, non vult istum carere gratiâ, nisi secundum quod bonum est: sed quod iste careat gratiâ, non est bonum simpliciter. Vnde hoc absolute consideratum non est volitum à DEO. Est tamen bonum, ut careat gratiâ, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparat: quia justum est, & hoc modo est volitum à Deo.] Ex quibus Verbis evidenter patet, Deum adultis, aliquamdiu usu rationis utentibus, semper dare gratiam sufficientem, ut possint velle recipere, & ut possint se præparare ad recipiendam gratiam proximè sufficientem ad resurgendum: alias ineptè illis diceretur Ezech. 33. *Vivo Ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à Via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à Vijs vestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?* Et 2. Petri 3. v. 9. *Patienter agit propter Vos, nolens aliquos perire, NB. sed omnes ad penitentiam reverti.* Ecce, ut repetam Verba Adversarii, Quid potuisset clarius dici?



CONTROVERSIA XLVI.

FACIENS, QVOD IN
SE EST.*An facienti quod in se est per A-*
ctus naturales, DEVS non denegat
Gratiam.

198. **E**st insistendum Doctrinæ P. Haunoldi lib. 2. n. 775. dicentis: *Homini per actus naturales aliquamdiu servant Legem Naturalem, DEVS ex sua bonitate infallibiliter providebit Gratiam supernaturalem, moraliter ac proxime sufficientem ad consequendam salutem, si illi homo velit cooperari.* Quia P. Haunoldus suam Doctrinam clarissime probat ex S. Thoma q. 14. de Veritate. a. 11. ad 1. ubi ait: [Si aliquis in Sylvis nutritus, ductum rationis NB. naturalis sequeretur in appetitu boni, & fugâ mali, certissime est tenendum, quod DEVS ei per internam inspirationem revelaret necessaria, vel ad eum prædicatorem dirigeret.] Nec evadit Adversarius, contra manifesta illa Verba: *Si aliquis in sylvis nutritus* (qui scilicet nullam actualem Fidem supernaturalem haberet, quæ est initium justificationis, omnisque actus supernaturalis) ductum Rationis NB. Naturalis sequeretur: allegando alium textum ex S. D. ad Rom. 10. lect. 3. quo putat actum supernaturalem requiri à S. Thoma, quando dicit: [Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex DEO est, movente corda eorum ad Bonum.] Verum DEVS potest etiam per illustrationes gratuitas naturales movere corda ad bonum honestum naturale: unde ex his Verbis, ut proxime ex ipso contextu ostendam, non probatur supernaturalitas actuum. Neque eam rectè colligit Adversarius ex adducto à S. D. exemplo Cornelij, cuius elemosynæ, propter quas act. 10. missus est ad illum S. Petrus, non potuerunt provenire ab actu merè naturali: quia S. D. 2. 2. q. 10 a. 4. ad 3. inquit. *De Cornelio tamen sciendum est, quod infidelis non erat: alioquin ejus operatio accepta non fuisset DEO, cui sine Fide nullus potest placere. Habebat autem Fidem implicitam, nondum manifestatâ Evangelii Veritate.* Unde ut eum in Fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus. Nam S. Thomas Exemplum Cornelij non adhibuit pro confirmanda citata assertione ex Commentario epistolæ ad Rom. sed pro confirmanda assertione P. Haunoldi, ut mox dicitur: neque illud solum adhibuit, sed etiam exemplum Macedonum, qui non habuerunt actus supernaturales: & S. Doctorem ibid. etiam loqui de actibus naturalibus, patet evidenter ex ipsius verbis.

Cum enim quaesivisset: [Numquid ergo illi, ad quos non pervenit fama prædicationis Apostolicæ, utpote si fuerunt enutriti in sylvis, excitatione habent de peccato infidelitatis?] & cum etiam respondisset: [Excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen Beneficium Dei consequuntur, ut scilicet justificentur ab alijs peccatis.] Deinde subiungit: [Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, (non tamen autem in potestate illorum facere actus supernaturales) Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio act. 10. & Paulum Macedonibus, ut habetur act. 16.] Et mox, ut ostendat, illos actus etiam naturales, fuisse in fidelium illorum potestate ex præmissione Divina, quantumvis naturali, addit verba solitarie relata ab Adv. *Sed tamen hoc ipsum &c.* priora utpote aperte contraria sibi, studiosè dissimulante. Sicut etiam de industria dissimulavit alium clarissimum textum à P. Haunoldo l. c. allegatum ex 2. dist. 28. a. 4. ad 4. Ubi rursum inquit S. Doctor: [Etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id, NB. quod in ratione naturali est: unde dicitur, quod si aliquis in barbaris & in Nationibus, quod in se est, faciat, Deus sibi revelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel Doctorem mittendo.] Eandem doctrinam repetit Angelicus Doctor 3. dist. 25. q. 2. a. 1. q. 1. ad 1. & 1. 2. 1. 99. Ex his tamen non sequitur, verum esse illatum Adversarij; quod sic jam possit assignari ratio ex parte hominis, quare Deus vocat istum, & non illum, cum tamen S. Angustinus à Magistro Angelico l. p. q. 23. a. 5. laudatus dicat: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, nullo velle judicare, si non vis errare.* Præterquam enim, quod prædicti actus naturales, à fide supernaturali, sine qua impossibile est placere Deo in ordine ad præmium supernaturale, prorsus independentes, non sint Deo accepti, ut ratio per se de eod. gno, si de congruo meritorio; sed sint tantum quasi remotio obicis ad Vocationem Divinam, et mera misericordia decernendâ, hoc ipsum, ut proxime ex S. Thoma dictum est, quod aliqui faciunt, quod in se est (scilicet ipsi actus boni naturales) per Deo est, movente corda eorum ad bonum.

100. Unde iterum pro confirmatione, tum datæ responsionis, tum doctrinæ P. Haunoldi, cui insistendum dixi, duo clarissima Angelici Doctoris testimonia subijcio, ut videat Adversarius, quoties in hac Controversia suo S. Magistro adversetur. Ille enim 2. dist. 18. a. 4. in C. ita scribit. [Quidam dicunt (inter quos est Adversarius) quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem præparare; nisi per aliquod lumen menti infusum, quod est donum gratiæ gratis datæ. Istud autem NB. non videtur conventens; quia præparatio, quæ est ad gratiam non

CONTROVERSIA XLVII.

COLLECTIO AUXILIORUM.

*An aliquod Arbitrium creatum
totaliter illi resistere
possit.*

non est per actus, qui sint ipsi gratiæ æquandi, æqualitate proportionis; sicut meritum æquatur præmio; (Ecce confirmationem prioris solutionis ad illationem Adversarii à me repositæ) & ideo non oportet ut actus, quibus homo se ad gratiam habendam præparat, NB. sint naturam humanam excedentes. Sicut enim natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam; ita actus NB. Virtutum naturalium se habent, ut dispositiones materiales ad ipsam.] Et paulo post, cum noluerit S. D. præmotionem ad actus naturales vocare donum gratiæ gratis datæ, eo quod non excedat naturam humanam, ut tamen indicaret esse gratuitam, latius loquendo, id est, esse ex Deo, sine ulteriori hominis præparatione liberaliter illam conferente, & movere corda ad bonum (quæ fuit altera solutio illationis) addit: *Nisi forte gratia, gratis data, dicatur naturale lumen rationis, quod pertinet ad bona naturalia, & non ad gratuita, nisi largè accepta, quatenus scilicet non est supra naturam, attamen etiam non est debitum, sed est auxilium per DEI misericordiam donatum naturæ.*

201. Alterum testimonium S. Doctoris, pro actibus naturalibus, non quidem meritorie, sed dispositive & remote præparantibus ad gratiam supernaturalem, habetur q. 24. de Verit. a. 1. ad 2. ubi dicitur: *Gratiam autem, quæ Opera meritoria facit, quamvis homo non possit ex libero arbitrio acquirere; potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non negabitur, si fecerit quod in se est: quod enim hi actus, quamvis non sufficiant ad meritum etiam de congruo, prout tamen in potestate liberi arbitrii, adeoque naturales sunt, possunt remote disponere ad promerendam gratiam per actus supernaturales, ut proinde hæc quoad remotam dispositionem, saltem negativam, quæ est mera remotio obicis, & positivæ indignitatis ad lumen infusum supernaturale, sit aliquo modo in potestate liberi arbitrii (cujus contrarium Semi-Pelagiani objiciebant S. Augustino, imputantes illi sublationem libertatis) id S. D. ulterius declaraturus immediate subiungit.*

Et ideo non est omnino extra potestatem liberi arbitrii opera meritoria agere, quamvis ad hoc per se potestas liberi arbitrii non sufficiat, eo quod modus, qui ad meritum requiritur, facultatem naturæ excedit, NB. non autem modus, qui est in operibus ex Virtutibus politis.



202. **E**tsi Adversarius dicat, quod P. Haunoldus nunquam defensurus sit illam assertionem lib. 2. n. 836. qua asserit, *Esse repugnantiam metaphysicam, ut detur aliquis homo, qui reddat omnia auxilia inefficacia, omnibus resistendo: tamen ipse neque refert, & solvit illius argumenta, neque assert aliquod in contrarium, quod à P. Haunoldo non facillimè solvatur.* Nam quando ita objicit: [Omnis concursus indifferens, omnisque motio moralis, quæ physice non efficit, sed expectat concursum, & determinationem liberi arbitrii, talis est, ut ei resisti possit, etiam in sensu composito; omne enim objectum Voluntati propositum, præter DEVM clarè Visum, non sufficit eam determinare, quin valeat se aliofsum divertere, cum illud non habeat bonitatem adæquantem totam capacitatem voluntatis, ut egregie probavit S. Thomas 1. p. q. 105. a. 4. in C.] libenter P. Haunoldus concedit totum, quod dictum est, & si alicui motioni resisti non posset, non valeret cum ea consistere libertas proxima: sed negat consequentiam ejus, quod inferendum esset: scilicet ergo voluntas potest omnibus auxiliis resistere in sensu colectivo: itaque deberet Adversarius cum S. Thoma distinguere inter sensum distributivum & collectivum: hinc in 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. ait S. D. *Homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia, & singula; potest etiam vitare singula peccata venialia, sed NB. non omnia.* Et 1. 2. q. 109. a. 8. ad 1. *Homo potest vitare singulos actus peccati, non tamen omnes, nisi per gratiam.*

203. P. Haunoldus verò suam assertionem probavit in primis ex S. Scriptura Proverb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Deinde ex S. Aug. lib. de corrept. & Gratia c. 14. ubi de DEO ait. *Sine dubio habens humanorum cordium, quod placeret, inclinandum, Omnipotentissimam potestatem.* Idem probat S. Thomas 3. Contr. Gent. c. 88. iniquis. *DEVS animam solus creat, solus igitur DEVS potest movere Voluntatem per modum agentis absque Violentia (& absque necessitate tollente libertatem indifferentiæ) hinc est, quod dicitur Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini &c.* Et ad Phil. 2. *DEVS est, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona Voluntate sua.* Autoritati P. Haunoldi n. 837. etiam addidit rationem, desumptam ex illimitatione

N tatione

ratione Omnipotentiae Divinae, continentis numero, & perfectione aptitudinis ad movendum corda hominum, auxilia plura & praestantiora (imò etiam moraliter necessitantia,) in infinitum; & ex limitatione potentiae creatae ad resistendum: quâ comparatione posita necesse est, potentiam limitatâ infinitis posse vinci à potentia illimitatâ; itaq; hæc *quocunq; voluerit inclinabit illam*: hoc autem non potest fieri per prædeterminationem physicam, ergo per præmotionem, directam à Scientia conditionata universali, ut sæpius & fufius in prioribus Contr. declaratum & comprobatum est.

204. Eadem assertio P. Haunoldi potest etiam confirmari argumento Sancti Thomae 3. Cont. Gent. c. 155. ubi rationem à priori assignans, quare prædictus modus argumentandi, ab Adversario usurpatus, qui est à sensu distributivo ad collectivum, non semper valeat, nec bene inferatur: Voluntas potest singulis Vicibus bene operari; ergo potest omnibus Vicibus & constanter bene operari; sic loquitur. [Potestas liberi arbitrii est respectu eorum, quæ sub electione cadunt: quod autem eligitur, est aliquid particulare operabile: particulare autem operabile est, quod est hic & nunc: quod igitur cadit sub potestate liberi arbitrii, est aliquid, ut nunc operandum: perseverare autem non dicit aliquid, ut hic & nunc operabile: sed continuationem operis per totum tempus: iste igitur effectus, qui est perseverare in bono, est supra potestatem liberi arbitrii.] Similiter dico. Uniformiter resistere omnibus auxiliis, dicit Uniformitatem operis per totam seriem infinitorum possibilium auxiliorum: iste igitur effectus, qui est uniformiter operari, sive in bono, sive in malo, est supra potestatem liberi arbitrii; id quod declarari potest exemplo alearum, quarum jactu quilibet numerus, & qualibet Vice, in sensu distributivo, facile poni potest, repugnat tamen eundem numerum constanter & in infinitum multiplicatis vicibus projici, propter Variabilitatem.

205. Vnde quemadmodum S. D. ex Variabilitate voluntatis humanæ probat, perseverantiam in bono esse supra potestatem liberi arbitrii, ita rursus probari potest, Uniformitatem operandi pro diversitate auxiliorum esse supra potestatem liberi arbitrii. Ita enim S. D. l. c. discutit. *Omne quod de se est variabile, ad hoc quod figuratur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis* (ut scilicet constanter & immobiliter, superatis omnibus impedimentis, eligat talia auxilia, quæ conditionatè prævidet subsequenteram operationem bonam,) homo enim *NB.* est variabilis, & de malo in Bonum, & de bono in malum: Ceterum, hæc assertio, cujus probatio-

nem Adversarius postulat, omnium clarissimè suadetur à propria cujusque experientia, quæ compertum habet, sibi quandoque esse difficultum abstinere à peccato, quandoque facilitum; unde cum possit difficultas aut facilitas à Deo augeri in infinitum, hinc facile potest DEUS voluntatem inclinare in quamcunque partem, quin per prædeterminationem libero arbitrio inferat physicam necessitatem, à me frequenter, solum tamen per modum argumentantis, objectam.

206. Petita probationi Assertionis subnectit Adversarius novam petitionem responsionis ad hanc quæstionem. *Vel convertitur Petrus, quia prius DEVS id vult, & physicè facit? vel DEVS vult illum converti, quia Petrus prius vult converti? vel quia DEVS & Petrus volunt simul?* Resp. Petrus converti, quia DEVS vult dare auxilium in ordine ad ponendam conversionem, adeoque quia etiam vult ipsam conversionem, sed impedibiliter, propter Scientiam directivam, impedibilem à statu objecti conditionato, impedibili per liberum arbitrium creatum. DEVS autem vult Petrum converti, non quia Petrus absolute vult converti, sed quia conditionatè prævidet, quod Petrus esset convertendus, si haberet tale auxilium, ideoque dat illi hoc auxilium, ut Petrus absolute velit converti, quam voluntatem deinde cum Petro, suo tempore, physicè producit. Et sic evitat decretum prædeterminans inimpedibile, & simul salvatur dependentiâ Conversionis à DEO, ut præmovente, & physicè efficiente Conversionem Petri.

CONTROVERSIA XLVII.

MERITVM S. ELIE.

An S. Elias de facto semper mereatur.

207. NON sine Fundamento dicit P. Haunoldus lib. 2. n. 884. quod Elias de facto non mereatur: Est enim hæc quæstio problematica, & in utramque partem dantur rationes probabiles, diversæque DD. opiniones apud nostrum Cornelium à Lapide 4. Reg. c. 1. v. 11. in fine. Illa quidem ratio, quæ ab Adversario assignatur pro facultate merendi, nihil concludit, sed concessio Antecedenti, quod Elias insistant altissimæ Contemplationi, & Charitati DEI, quod teste S. Thomâ omnibus Prophetis sanctior fuerit, quod juxta eundem habuerit eandem virtutem, quàm Joannes Baptista, & habiturus sit omnia ad verum Apostolum requisita, ac Christo in morte & mortis loco conformis.

formis futurus, negatur consequentia: ex meritis enim præteritis & futuris nihil probatur pro tempore medio, & ex actibus Charitatis non bene inferitur vis merendi per illos, quia hoc ipsum est in questione, an Elias per actus Charitatis nunc mereatur, cum etiam PP. in Limbo, & animæ in purgatorio elicerint frequentes actus Charitatis, nihil tamen per illos meruerint. Melior ratio ab aliis pro merito S. Eliaæ afferri solet, quod incapacitas meriti cum dilatione æternæ gloriæ, esset nimis onerosa & difficilis, ut proinde in compensationem dilatæ gloriæ rationabiliter asseratur capacitas continuo augendæ gloriæ. Sed hanc rationem Adversarius non invenit in S. Thoma, & ideo maluit eam omittere.

208. Fundamentum verò, quo nititur P. Haunoldus contra statum merendi, insitit principiis S. Thomæ. Certum enim est, quod Enoch & Elias sint positi in tali statu, in quo nec interior, nec exterior certamen sustinent: sed juxta S. Thomam alterutrum requiritur ad meritum: unde, ut salvet meritum hominis in statu innocentie, 2. dist. 29. 2. 4. ad 2. inquit. [Dicens, quod quamvis homo in primo statu non habuerit certamen interius, habuit tamen certamen exterius, unde & victoriam habere potuit, qua coronam mereretur.] Subsumit itaque P. Haunoldus. Atqui Elias neutrum certamen habet, ergo juxta principium S. Thomæ non meretur; quod Adversarius non satis perpendit, aliàs meritum Angelorum (qui utique certamine non caruerunt, teste Jo. Apoc. 12. v. 7. & Isa. 14.) & meritum hominum in statu Justitiæ originalis non adduxisset pro instantia, neque hanc in relato textu S. Thomæ fundasset.

209. Idem Fundamentum P. Haunoldi, ut clarius pateat, quod innitatur principiis S. Thomæ, potest etiam hac formâ efferi. Si Elias, altissima DEI contemplationi, & exinde manantibus ferventissimis actibus Charitatis jugiter insistat (quæ sunt Verba Adversarii,) adeo, ut in continuo raptu non solum corporis, sed etiam mentis versetur, atque perpetuam amoris ecstasim patiat, cujus vehementi dilatæ gloriæ moram leniter terat, tunc Elias non habet cognitionem indifferentem ad contemnendum ullum bonum temporale, sed cognitio indifferens & victoriosa boni temporalis ad libertatem actionis meritorie est simpliciter necessaria, ergo &c. Minor est indubitata, & supra à S. Thoma tradita. Major probatur iterum ex S. Doctore 1. 2. q. 28. a. 3. in C. ubi ecstasim distinguens in apprehensivam & appetitivam, ait: Primam quidem ecstasim facit amor dispositivè, in quantum scilicet facit meditari de amato, ut dictum est. Intensa autem meditatio unius abstrahit ab aliis. Quam vehemens autem hæc sit abstractio (præ-

sertim in S. Elia) mox indicat S. D. in Responsione ad 1. ubi concedit, quod prima ecstasis faciat, quandam Alienationem, ut amans non sit sui compos. similia habet de raptu Amoris in 2. 2. q. 175. a. 2. in C. & ad 2.

210. Aliud adhuc Fundamentum suppledit S. Thomas 2. Cor. 12. lect. 1. K. ubi de Enoch. (eodem autem est ratio Elia.) inquit: Sed attende, quod aliquis homo dicitur raptus ab hominibus, sicut Enoch. Sap. 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Subsumo. Atqui raptus, qui indicatur in cit. loco Sap. reddit incapacem meriti ac demeriti, & juxta S. Aug. aliòsque SS. PP. ac interpretes communiter fit per mortem, ut adeoque raptus Elia & Enoch eodem quoad effectum incapacitatis ad merendum vel demerendum saltem æquiparetur. Unde sic ulterius arguo. Vel Elias & Enoch possunt mereri, & demereri, vel solum possunt mereri. Non primum, quia est expresse contra S. Thomam, & Adversarius suo S. Patri immerito tribueret titulum Sancti in speciali sensu. Non secundum, quia sicut capacitas tanto tempore demerendi esset nimium onerosa, sic capacitas solummodo merendi esset nimium lucrosa, ita ut nullus Sanctus (exipio Beatissimam Virginem,) potuisset Elia merita æquare; quæ prærogativa neque à S. Thoma inter plura ab Adversario relata encomia memoratur, utique tamen ante omnia memoranda. Cæterum dilatio cælestis gloriæ quoad tantum tempus, sufficienter compensatur, ejusdem reservato adhuc augmento, quod sibi Elias & Enoch in fine Mundi promerebuntur, & quod proinde eternæ Gloriæ pondus longè est operabilius, quam actualis possessio Gloriæ minoris. Verum per hæc Fundamenta nolim ego quidquam meriti demere S. Patri Elia, sed solum ostendere, P. Haunoldi Doctrinam illis non caruisse.

EX SECVNDA SECUNDÆ.

CONTROVERSIA XLIX.

FIDEI RESOLVTIO.

*An Fides etiam resolvatur in
Locutionem DEI Mediatam vel
Immediatam.*

211. PER hæc Verba, quæ Adversarius ex P. Haunoldo adducit, asserente lib. 3. n. 113. [Fidem nostram ultimò resolvit

N 2

208